ANTIQUÆ

FACULTATIS THEOLOGICÆ LOVANIENSIS,

Qui adhuc per Belgium superstites sunt

DISCIPULI,

AD EOS

Qui hodie Lovanii sunt

THEOLOGOS,

DE

DECLARATIONE

Sacræ Facultatis Theol. Lovaniensis

RECENTIORIS

CIRCA

CONSTITUTIONEM

UNIGENITUS: DEI FILIUS,

Editâ 8. Julii. 1715.

MDCCXVII.

PROOEMIUM

Ad Academicos, qui hodie Lovanii ſunt, Theologos.

USque adeòne vetus ille Theologorum Lovanienſium pro Religione, pro Veritate, pro Majorum ſuorum doctrina, zelus elanguit, ut dum in ipſa Academia conculcantur hæc omnia, ne unus quidem in ea ſit, qui pro iis defendendis calamum ſtringat, & depoſitum fidei ſanæque doctrinæ cuſtodiat? Jam pluſquam biennium eſt, cùm DECLARATIONEM edidit Facultas veſtra Theologica, quâ *omnes & ſinguli* illius Magiſtri profitentur ſe amplexos eſſe Conſtitutionem UNIGENITUS, *purè, ſimpliciter, ſine hæſitatione, ſine exceptione, ſine explica-*

plicatione; adeóque etiam *purè*, *simpliciter*, *sine exceptione*, *sine explicatione*, condemnant propositiones omnes, quæ in ista Constitutione damnantur: Sic autem propositiones istas condemnare, nihil aliud est, quàm prima Religionis Catholicæ, doctrinæque Moralis Christianæ, ac disciplinæ Ecclesiasticæ fundamenta, *de infirmitate hominis lapsi*, *de omnipotenti gratia Salvatoris*, *de utriusque legis discrimine*, *de charitate & cupiditate*, *de administrando pœnitentiæ Sacramento*, subvertere.

Exspectabamus mox fore, ut plures Academici adversùs DECLARATIONEM istam prodirent in aciem, palamque testarentur, non tantùm se Recentioris Facultatis Theologicæ Magistris non consentire; sed etiam

etiam contra illos adhærere doctrinæ, quam à suis Pastoribus in Ecclesia Catholica, & ab antiquioris Facultatis Magistris in Academia Lovaniensi, veluti à Majoribus traditam, jam olim acceperant. Verùm hactenus nostra nos fefellit exspectatio; & ne per rumorem quidem audivimus esse in Academia vel unum, qui id operis meditetur.

Et Theologis quidem Academicis antè cæteros incumbebat hoc onus: sed cùm tanto jam tempore siluerint, metuendumque sit, ne silentium tam diuturnum pro consensu saltem tacito accipiatur; nobis tandem loquendum esse putavimus, ut constet Orbi universo esse per Belgium Theologos, Clericos, Sacerdotes, Pastores, aliosque omnis Ordinis Ecclesiasticos

quàm plurimos, qui Constitutionem Unigenitus, cum Facultate Theologica Lovaniensi Recentiore *purè, simpliciter, sine hæsitatione, sine exceptione, sine explicatione* non recipiunt; rati scilicet, ingens se fidei Romano-Catholicæ, Doctrinæ Morali Christianæ, & Ecclesiæ disciplinæ detrimentum cum magnâ animarum pernicie illaturos, si reciperent.

Tribus autem Capitibus visum fuit hanc nostram de Declaratione Facultatis sententiam complecti.

Capite primo asseruimus Propositiones, quas Facultas *purè, & simpliciter* condemnat; iisque non nisi Sacrarum Litterarum, SS. Patrum, Summorum Pontificum, Conciliorum, & Ecclesiæ doctrinam contineri ostendimus. Asseruimus autem non

non omnes; ſed in vario argumenti genere præcipuas ſelegimus, quæ ſufficerent ut pateret omnibus, prima Religionis & Moralis Chriſtianæ principia per illorum condemnationem everti. Præſtitum id quidem fuit prolixiùs per ipſum Propoſitionum Auctorem, alioſque plures, ad quos ſatis erat remittere: ſed idem etiam præſtandum videbatur à nobis, ut teſtes eſſemus doctrinæ & formæ ſanorum verborum, quæ aliquando à Magiſtris noſtris in Academia Lovanienſi accepimus.

Capite ſecundo exhibuimus & refutavimus impoſturas & calumnias acerbiſſimas, quibus Propoſitionum Auctorem traducit Facultas, tum recipiendo *purè*, *ſimpliciter*, & *ſine exceptione* Conſtitutionem, quæ atris coloribus Auctorem iſtum depin-

pingit; tum affingendo ipsius Propositionibus sensus falsos, perversos, & hæreticos, qui non nisi per summam injuriam illis poterant affingi.

Capite tertio subruimus ipsius DECLARATIONIS fundamentum, quod aliud non est, quàm Magistrorum vestrorum de Romani Pontificis infallibilitate opinio: subruto autem fundamento totam, quæ illi superstruitur, DECLARATIONEM ruere necesse est.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Ubi

Propositiones per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnatæ,

ASSERUNTUR

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ.

§. I.

De Infirmitate hominis in hoc statu naturæ lapsæ, & Gratiæ necessitate.

„ IN CAUSA DUORUM HOMINUM, ait Augustinus, quorum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis; per unum præcipitati sumus in mortem; per alterum liberamur ad vitam; quorum ille nos in se perdidit faciendo voluntatem suam, non ejus à quo factus est, iste nos in se salvos fecit non faciendo voluntatem suam, sed ejus à quo missus est; IN HORUM ergo DUORUM HOMINUM CAUSA FIDES PROPRIE CHRISTIANA CONSISTIT.

De Pecc. Orig. cont. Pelag. & Cælestium cap. 24.

Si in horum duorum hominum causa fides propriè christiana consistit; fidem

christianam condemnat, qui veram de duorum illorum hominum cauſa doctrinam condemnat. Hanc autem condemnant Magiſtri Facultatis veſtræ, *Theologi Academici*, dum condemnant propoſitiones, quas hic adverſus illorum condemnationem aſſerendas ſuſcipimus.

Et doctrinam quidem veram de primi hominis, qui nos perdidit, cauſa ab iis condemnari, oſtendemus hoc §. I. ubi de infirmitate hominis lapſi, ejuſque impotentia ad bonum, ac gratiæ neceſſitate ſermo eſt: condemnari verò ab iis etiam doctrinam veram de cauſa ſecundi hominis, qui nos redemit, oſtendemus §. ſequente, ubi de Omnipotentia gratiæ Chriſti tractabitur.

Sanè, quàm neceſſarium ſit ritè cognoſcere cauſam primi hominis, vel indè patet, quòd cognitio illa fundamentum ſit veræ ac Chriſtianæ humilitatis: humilitas verò fundamentum cæterarum virtutum. Nam *Humilitas eſt virtus, quâ homo veriſſimâ ſui agnitione ſibi ipſi vileſcit*, ut eam definit Bernardus. Veriſſima autem ſui agnitio, ſine cognitione infirmitatis ac impotentiæ hominis in hoc ſtatu naturæ lapſæ, & neceſſitatis gratiæ haberi non poteſt.

Tract. de Grad. Humil. c. I.

Atque hinc prima Eximiis olim in Facultate Theologica Lovanienſi Magiſtris noſtris cura erat, de cauſa primi hominis nos ritè inſtituere, ſolidumque in nobis humilitatis ac reliquarum virtutum chriſtianarum fundamentum collocare.

Hoc ſubvertere nobis videntur Eximii hodiè Magiſtri Veſtri, dum propoſitiones plu-

plures, quibus infirmitas ac impotentia hominis lapsi, gratiæque in hoc statu necessitas exhibetur, condemnant. Nos eas, tamquam hæreditatem nobis à Majoribus nostris à Vestris relictam, ex Sacris Litteris, ex SS. Patribus, ex doctrina & sensu Ecclesiæ, asseremus.

I.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas & segnis indigentia: hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum. Prop. 1. inter Propp. 101.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Quis pius ac humilis est inter fideles, qui Propositionis istius veritatem non professus fuerit semper ut Catholicam, & profiteatur adhuc quotide, dum verissimâ sui agnitione sibi ipsi vilescens coram Deo prosternitur? Qui fidelium sensus etsi posset ad eam asserendam sufficere; Scripturas tamen, Patres, & ipsius Ecclesiæ in publicis suis Orationibus professionem, quibus asseritur manifestiùs, preferemus.

Sine me, inquit Christus, NIHIL POTESTIS FACERE. Joan. 15.

Si sine Christo, hoc est, fine Christi gratia NIHIL POSSIMUS FACERE: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque* ip-

ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum & peccati conſecutiones, hoc eſt, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum? Si enim præter peccatum & peccati conſecutiones, hoc eſt iſtam impotentiam, ipſi remaneret ALIUD; jam ſine Chriſto poſſet ALIQUID facere: illud nimirum ALIUD, quod ipſi præter peccatum & peccati conſecutiones remaneret, poſtquam Deum & Dei gratiam amiſit? Sed *ſine Chriſto* NIHIL poteſt facere: Ergo, poſtquam Deum atque ipſius gratiam amiſit, ſeu, poſtquam *ſine Chriſto* eſt, ipſi remanet NIHIL. Nihil ſcilicet utile ad ſalutem: nam quidquid aliud remanet, ſi ad ſalutem utile non ſit, apud Deum NIHIL eſt.

2 Cor. 3. Idem conficitur ex hoc loco Apoſtoli: *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Si enim non ſimus ſufficientes COGITARE ALIQUID A NOBIS; ſed ſufficientia noſtra EX DEO, ſeu ex gratia Dei ſit: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum & peccati conſecutiones, hoc eſt, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Enimverò, ſi præter peccatum & peccati conſecutiones, hoc eſt, iſtam impotentiam, remaneret ipſi ALIUD; remaneret ipſi ſufficientia cogitandi aliquid ex ſe, & non ex Deo: Verum, teſte Apoſtolo, *Non ſumus ſufficientes* COGITARE ALIQUID *à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:* Ergo ſine Deo, ſeu poſtquam Deum atque

atque ipsius gratiam amisimus, non remanet nobis sufficientia COGITANDI ALIQUID: proindè non remanet *nisi generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum:* Hæc enim sine *cogitatione aliquâ* facere non possumus. *Cogitationem* cum Apostolo intellige SALUTAREM, quemadmodum & opus bonum SALUTARITER: Nam sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, NON SALUTARITER; nec sufficientia ista ex Deo seu Dei gratia est.

Post Scripturas audiamus Augustinum: „ Valet, inquit, liberum arbitrium ad opera bona, si divinitùs adjuvetur: DESERTUM VERÒ DIVINO ADJUTORIO, quâlibet scientiâ legis excellat, „ nullo modo habebit justitiæ soliditatem, „ SED INFLATIONEM IMPIÆ SUPERBIÆ, ET EXITIOSUM TUMOREM. Epist. 157. Aliàs 89. ad Hilarium.

Quid aliud ergò juxta Augustinum, remanet animæ *desertæ divino adjutorio*, seu, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, NISI INFLATIO IMPIÆ SUPERBIÆ ET EXITIOSUS TUMOR? Quæ sunt plusquam *superba paupertas & segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*, ut habet propositio.

Idem: " Prorsus, inquit, si (adjutorium Spiritus Sancti) defuerit, NIHIL BONI AGERE POTERIS. Agis quidem, illo non adjuvante, liberâ voluntate, SED MALE. Serm. 156. aliàs 13. de Verb. Apost.

Quid ergò iterum juxta Augustinum, remanet animæ, cui adjutorium Spiritûs de-

desfuerit, seu quæ Deum atque gratiam ipsius amisit; *nisi nihil boni agere posse, & agere malè*? Quod Propositioni ut minus æquivalet.

Ex Augustino Tract. 5. in Joan. & Prosspero Sent. 323. definierunt Patres Concilii Arausicani II. *Nemo habet* DE SUO NISI MENDACIUM ET PECCATUM.

Can. 22.

Quid ergo aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, NISI, quod habet de suo, MENDACIUM ET PECCATUM? Si autem non remaneat ipsi NISI MENDACIUM ET PECCATUM; non remanent etiam nisi *peccati consecutiones, superba paupertas, segnis indigentia: hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.*

Quid porrò de propositione sentiat & credat Ecclesia, discendum est ex ipsius Orationibus: Ut (quemadmodum loquitur Cælestinus Epistolâ ad Galliarum Episcopos) LEGEM CREDENDI LEX STATUAT SUPPLICANDI. Sic autem supplicat Ecclesia.

Dom. 2. Quadr.

Deus qui conspicis OMNI NOS VIRTUTE *destitui: interius exteriusque custodi* &c.

Dom. 3. Post. Pentec.

Protector in te sperantium Deus, SINE QUO NIHIL EST VALIDUM, *nihil Sanctum: multiplica super nos misericordiam tuam* &c.

In Prosa Miss. Pentec.

Sine tuo numine NIHIL *est in homine*, NIHIL EST INNOXIUM &c.

Si OMNI VIRTUTE ex nobis destituamur; si SINE DEO NIHIL SIT VALIDUM; Si *sine Spiritus-Sancti numine* NIHIL

HIL SIT IN HOMINE, NIHIL SIT INNOXIUM: Quid alind remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi OMNI VIRTUTE destitui; NIHIL VALIDUM habere; NIHIL habere INNOXIUM? Quid verò remanet animæ, OMNI VIRTUTE destitutæ; NIHIL habenti VALIDUM, NIHIL INNOXIUM; habenti NIHIL: Quid, *nisi peccatum & peccati consecutiones, hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

Ad sensum Fidelium redeamus. Hi per Ecclesiam universam cum Auctore Librorum de Imitatione Christi sincerè profitentur coram Deo: *Domine*, NIHIL SUM, NIHIL POSSUM, NIHIL BONI EX ME HABEO, SED IN OMNIBUS DEFICIO. Eâdemque sinceritate per annos circiter quadraginta cum Auctore *Considerationum Moralium* professi fuêre: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia: hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Nihil enim hic profitebantur, nisi quod jam antè soliti fuerant profiteri in libro de Imitatione Christi, in Orationibus Ecclesiæ, in sententiis Patrum & Scripturarum; quodque homini Christiano, si humilis esse vellet, profitendum esse, in Catechismis, Instructionibus, & Concionibus sexcenties à puero intellexerant. Lib. 3. c. 40.

Quid ergò movere potuit Magistros Vestros, *Theologi Academici*, ut Propositionem tam apertis Scripturarum, Patrum,

Eccleſiæ, omniumque fidelium teſtimoniis firmatam condemnarent? Tria, ut ſuſpicamur, afferetis?

1. Intellexiſſe Magiſtros Veſtros propoſitionem de *gratia* tantum *habituali*: ſic autem intellectam cenſurâ digniſſimam eſſe; utpotè quæ aſſerat, *Animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam (tantùm habitualem) amiſit, non remanere aliud, niſi peccatum* &c.

R. Non potuêre Magiſtri Veſtri ſic propoſitionem intelligere. Vox, *Gratia*, gratiam tam actualem, quàm habitualem ſignificat: proindè ubi ad alterutram non reſtringitur, ſignificat utramque. Deindè tantum abeſt ut in propoſitione reſtringatur ad habitualem; ut ad actualem potius reſtringi videatur: nam gratia habitualis ſatis ſignificata fuerat his verbis, *Anima quæ* DEUM AMISIT: Deum enim amittere, propriè eſt amittere gratiam habitualem, ſeu amicitiam cum Deo. Dum verò additur, *atque* IPSIUS GRATIAM *amiſit*, ſignificatur ſermo eſſe de anima, quæ non tantum Deum amiſit, ſeu gratiam habitualem & amicitiam cum Deo; verùm etiam gratiam ipſius actualem. Præterea, ſi gratiam tantùm habitualem ſignificaret propoſitio, bis idem diceret: Idem enim eſſet, *Deum amittere*, &, *gratiam ipſius amittere*: Si autem bis idem dicere voluiſſet propoſitio, dixiſſet, *Quæ Deum ſeu ipſius gratiam amiſit*, ut idem aliis verbis efferri & explanari ſignificaret. Nunc verò cùm dicit; *Quæ Deum* ATQUE *ipſius gratiam amiſit*, duo ſe diſtinguere apertè ſignificat. Tandem ſine injuria affingi non potuit propoſitio-

tionis Auctori, quòd animæ, quæ gratiam tantum habitualem amisit, dixerit non remanere aliud nisi peccatum & peccati consecutiones: cùm fingi sine injuria non potuerit, ipsum ignorasse, quòd, amissâ tantum gratiâ habituali, remaneret adhuc actualis, & quæ ex illa consequantur salutares effectus. Eliso primo, discutiamus alterum.

2. Dicetis Magistros Vestros, per *Opus bonum* intellexisse etiam *opus*, *tantum moraliter seu ex objecto*, quod fieri potest ab anima, quæ non gratiam tantùm habitualem, sed etiam actualem amisit: ac proindè censurâ dignam esse propositionem asserentem, quod animæ, quæ gratiam habitualem & actualem amisit, non remaneat aliud, quàm generalis *ad omne opus bonum impotentia.*

R. Nec sic potuêre Magistri Vestri propositionem intelligere. Nam voces illæ, *Opus bonum*, ubi simpliciter ponuntur, *opus bonum simpliciter* significant: *Opus* autem non est *bonum simpliciter*, nisi sit bonum *salutariter*, seu, *bonum ac utile ad salutem:* Jam autem voces illæ in propositione ponuntur simpliciter: Ergo & *opus bonum simpliciter*, seu, *opus bonum salutariter*, hoc est, *bonum ac utile ad salutem* designant. Atque hæc est phrasis Patrum in locis supra allegatis. Ubi ait Augustinus, Liberum arbitrium, desertum divino adjutorio, non valere ad OPERA BONA: Nihil BONI agere posse. Et ex Augustino ac Prospero, Patres Concilii Arausicani II. *Neminem habere de suo nisi mendacium & peccatum:* Nam etsi quis de suo habeat

opera moraliter ſeu ex objecto bona; non ſunt tamen bona ſimpliciter.

3. Neſcimus, an ex Magiſtrorum Veſtrorum ſententia ſit tertium, quod afferri poſſet: Animæ ſcilicet quæ Deum atque ipſius gratiam tum habitualem tum actualem amiſit, remanere adhuc potentiam ſaltem remotiſſimam ad omne opus, non tantum moraliter, ſed & ſalutariter bonum: adeoque meritò condemnatam propoſitionem, quæ dicit *non remanere aliud, niſi generalem ad omne opus bonum impotentiam.*

R. Intelleximus jam pridem, Magiſtros Veſtros, hac in re mutaſſe ſententiam, & receſſiſſe à doctrina Majorum ſuorum in *Cenſura Lovanienſi*, ubi *poſſe naturæ*, ſeu potentia ſaltem remotiſſima ad actus ſalutares ac ſupernaturales, abſque ulla etiam gratia habituali vel actuali, ex Auguſtino aſtruitur: Proindè Magiſtrorum ſaltem Veſtrorum nomine opponere non poteſtis iſtam potentiam; nec eo prætextu cenſuram tueri.

Si quis verò alius eam opponat, reſpondetur: Manifeſtum eſſe, quòd propoſitio non neget poſſe illud, ſeu remotiſſimam illam ad actus ſalutares ac ſupernaturales potentiam; quæ ipſi naturæ ineſt, & habetur abſque ulla gratia: Sed tantùm neget potentiam illam propinquiorem, quæ omnia ad actum neceſſaria complectitur, & ſine gratia aliqua Salvatoris non habetur. De hac potentia Chriſtus, dum ait: *Sine me nihil* POTESTIS *facere:* De eâdem Apoſtolus: *Non quod* SUFFICIENTES *ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis:* De eadem Auguſtinus locis ſupra citatis, aliique Patres

tres locis innumeris, ubi dicunt nullum opus bonum fieri POSSE sine gratiâ. De hac post Scripturam & Patres Propositio, dum animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, non remanere dicit aliud, quàm *ad omne opus bonum impotentiam.*

Nullâ igitur ratione defendi potest lata à Magistris Vestris in Propositionem censura.

II.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum. Absque illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest. Prop. 2.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

1. Quod Jesu Christi gratia sit principium efficax boni cujuscumque generis, ad ipsam fidem catholicam pertinet, teste Cælestino I. Pontifice in Epistola ad Galliarum Episcopos.

„ Constitutiones, inquit, Sanctorum „ Patrum compendioso manifestamus indi„ culo, quo si quis non nimium est con„ tentiosus, agnoscat, omnium disputa„ tionum connexionem ex hac subditarum „ Autoritatum brevitate pendere, nullam„ que sibi contradictionis superesse ratio„ nem, SI CUM CATHOLICIS CRE„ DAT ET DICAT.

Tum varia capitula credenda subjungit,

git, inter quæ fextum eft hujusmodi: „ Quòd ita Deus in cordibus hominum, „ atque in ipfo libero OPERETUR ARBITRIO, UT SANCTA COGITATIO, „ PIUM CONSILIUM, OMNISQUE MOTUS BONÆ VOLUNTATIS EX „ DEO SIT: quia per illum aliquid boni „ poffumus, fine quo nihil poffumus. Ad „ hanc enim nos profeffionem idem Doctor (*Zofimus Papa*) inftituit, qui cùm „ ad totius orbis Epifcopos de Divinæ gratiæ opitulatione loqueretur: *Quod ergo*, „ ait, *tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio*? IN OMNIBUS IGITUR „ ACTIBUS, CAUSISQUE, COGITATIONIBUS, MOTIBUS, *adjutor & „ protector orandus eft. Superbum eft enim, „ ut quidquam fibi humana natura præfumat, clamante Apoftolo, Non eft nobis „ colluctatio adverfus carnem & fanguinem.... Et ficut ipfe iterum dicit, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore „ mortis hujus? Gratia Dei per Jefum Chriftum Dominum noftrum. Et iterum, „ Gratiâ Dei fum id quod fum* &c.

Tandem fic concludit: " His ergo Ecclefiafticis regulis, & ex divina fumptis „ autoritate documentis, ita adjuvante „ Domino confirmati fumus, UT OMNIUM BONORUM AFFECTUUM, „ ATQUE OPERUM, ET OMNIUM „ STUDIORUM, OMNIUMQUE VIRTUTUM, QUIBUS AB INITIO FIDEI AD DEUM TENDITUR, DEUM „ PROFITEAMUR AUCTOREM, & „ non dubitemus ab ipfius gratia omnia „ hominis merita præveniri, PER QUEM

„ FIT

„ FIT ut aliquid boni & velle incipiamus
„ & facere.

Non poterat disertiùs Cælestinus exprimere, quod Gratia sit *principium efficax, boni*, quàm dicendo, quòd ita Deus in cordibus hominum OPERETUR, ut omnis motus bonæ voluntatis EX DEO SIT: Quòd Deus omnium bonorum affectuum profitendus sit AUCTOR: Quòd PER IPSUM FIAT, ut aliquid boni velle incipiamus &c.

Quòd verò sit *principium efficax boni cujuscumque generis*, exprimit differtissimè, dum ipsa bona cujuscumque generis sigillatim enumerat his verbis: *Sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis:* & iterum: *In omnibus actibus, causisque, cogitationibus, motibus:* ac tertiò: *Omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur.* Ubi nullum bonum salutare, *cujuscumque generis*, prætermittit Cælestinus, quod Deus per gratiam Jesu Christi efficaciter non operetur.

2. Quòd verò *gratia illa necessaria sit ad omne opus bonum*, & *absque illa non solum nihil fiat, sed nec fieri possit*, non minus disertè Scripturæ & Patres affirmant.

Nemo POTEST *venire ad me*, inquit Christus, *nisi Pater meus traxerit eum.* Ergo ut veniatur ad Christum necessaria est gratia, sine qua non solùm nemo veniet, sed nec VENIRE POTEST, dicente Christo: NEMO POTEST &c. *sine me* NIHIL POTESTIS FACERE. Hoc est, sine mea gratia nihil potestis facere. Si *ni-*

Joan. 6.

Joan. 15.

nihil: ergo ad omne opus bonum neceſſaria eſt gratia, ſine qua non solùm nihil facimus, ſed nec poſſumus facere, dicente iterum Chriſto, non, ſine me nihil facitis, ſed *ſine me nihil* POTESTIS FACERE.

1 Cor. 12. *Nemo*, inquit Apoſtolus, *poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto.* Hoc eſt, ſine Spiritus Sancti gratia. Ergo ad dicendum, Dominus Jeſus, neceſſaria eſt gratia, ſine qua non tantùm non dicimus, Dominus Jeſus, ſed nec dicere poſſumus, dicente Apoſtolo, non, *Nemo dicit, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto*, ſed, *Nemo poteſt dicere &c.*

Scripturarum phraſim & doctrinam ſequitur Cæleſtinus Pontifex ſupra citatus, ſeu Eccleſia Romana in Capitulis ſupra laudatis, ubi ait: *Per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus.*

De Grat. Chriſti cap. 26. Sequitur & Auguſtinus: " Gratiam Dei....
„ ſic confiteatur, inquit, qui vult veraciter
„ confiteri, UT OMNINÒ NIHIL BONI
„ ſine illa quod ad pietatem pertinet veramque juſtitiam, FIERI POSSE non dubitet.

Serm. nunc 156. alias 13. de Verb. Ap. „ Prorſus ſi defuerit, NIHIL BONI
„ AGERE POTERIS.

Lib. 1. ad Bonif. c. 2. „ Quid eſt, quod ille libero arbitrio
„ vult benè vivendi tribuere POTESTATEM; CUM HÆC POTESTAS NON
„ DETUR, NISI GRATIA DEI per
„ Jeſum Chriſtum?

His locis, aliiſque innumeris, Doctor Gratiæ pronuntiat, ſine gratia non tantùm nihil boni fieri, ſed *nec fieri poſſe*; idque confitendum eſſe, ſi volumus gratiam Dei veraciter confiteri.

Alios, qui Auguſtinum ſequuntur, Patres

tres prætermus. Sufficit omnium per Ecclesiam fidelium vox, cum pio Auctore Librorum de Imitatione Christi veraciter confitentium: " O! quàm maximè est mihi " NECESSARIA, Domine tua gratia, " AD INCHOANDUM BONUM, AD " PROFICIENDUM, ET AD PER- " FICIENDUM. Nam SINE EA NIHIL L. 3. c. 55. " POSSUM FACERE.

Postremò, quis Magistrorum Vestrorum admittere non debeat hoc ratiocinium: " Gratia ad boni aliquid agendum " est necessaria: Atqui necessarium ad bo- " ni aliquid agendum est id, sine quo " boni aliquid agere non possumus: Ergo " sine gratia boni aliquid agere NON " POSSUMUS?

Si hoc ratiocinium cogantur admittere: quomodo potuerunt propositionem, quæ ratiocinii conclusio est, condemnare?

Non ignoramus dicturos vos pro Magistris Vestris, propositionem agere de gratia efficaci: sic enim habet: *Jesu Christi gratia, principium* EFFICAX *boni* &c. Gratiam verò *efficacem* distingui contra *inefficacem*, quam alio nomine Thomistæ vocant *sufficientem*: hanc autem sufficientem seu inefficacem dare *posse* ad agendum: proindè falsam esse propositionem, quæ dicit absque gratia efficaci nihil boni FIERI POSSE.

R. Non agit propositio de gratia *efficaci* prout contra *inefficacem* seu *Thomisticè sufficientem* distinguitur: sed agit de gratiâ qualicumque, quæ est PRINCIPIUM EFFICAX alicujus boni. Tale autem principium est omnis Jesu Christi gratia, tum quæ *efficax*, tum quæ *inefficax* seu *sufficiens* *Tho-*

Thomisticè dicitur: Nam illa quidem *principium efficax* est boni perfecti; hæc verò *principium efficax* boni imperfecti. Vera proindè est propositio asserens quòd absque Jesu Christi gratiâ (sivè efficaci, sivè inefficaci) non solùm nihil boni fiat, sed nec fieri possit.

Et esto daremus (quod non damus) propositionem agere de gratia *efficaci*, prout in Scholis contra *inefficacem* seu *Thomisticè sufficientem* distinguitur: nec sic tamen rectè eam Magistri Vestri condemnarent. Siquidem is, qui gratiam Scholarum phrasi *efficacem* non habet, verissimè dicitur agere NON POSSE; etsi habeat *inefficacem* seu *Thomisticè sufficientem*, quæ dat *posse agere*. Ita ut verum sit, & hominem istiusmodi quodam sensu NON POSSE AGERE; & quodam sensu POSSE AGERE: NON POSSE AGERE ex potentiâ, quæ omnia ad agendum necessaria complectitur: POSSE AGERE ex potentiâ, quæ omnia ad agendum necessaria non complectitur. Undè nec qui dicit eum agere NON POSSE, condemnandus est; nec qui dicit eum POSSE: modo uterque, ut potest, vero sensu id dicat. Vero autem sensu, NON POSSE dicit propositio, post Scripturam & Patres: addimus & Concilium Tridentinum, quod docet ipsos justificatos aliquid NON POSSE: " Nam Deus, inquit, impossibilia „ non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis & petere quod NON POSSIS. Sess. 6. c. 11.

Non magis ergo, quàm Scripturam, Patres, & Synodum Tridentinam, poterant

rant Magistri Vestri istam Propositionem condemnare.

III.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ; exhortationes & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum. Prop. 5.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Nescimus, quâ ratione de hujus propositionis veritate dubitare potuerint Magistri Vestri. Nostri sic ratiocinabantur:
„ Quando Deus non emollit cor per inte-
„ riorem unctionem gratiæ suæ; cor ex-
„ hortationes & gratias exteriores repellit
„ ac respuit: Atqui cor, quod exhorta-
„ tiones & gratias exteriores repellit ac
„ respuit, repellendo ac respuendo magis
„ obduratur: Ergo, quando Deus non
„ emollit cor per interiorem unctionem
„ gratiæ suæ, exhortationes & gratiæ exte-
„ riores non inserviunt nisi ad illud magis
„ obdurandum.

Ratiocinium suum firmabant ex Scripturis & Patribus.

Quid ergo lex? inquit Apostolus; PROPTER TRANSGRESSIONES *posita est.* Gal. 3.
Dum occasione legis, quæ gratia exterior erat, TRANSGRESSORES facti sunt Judæi, quando cor illorum per interiorem unctionem gratiæ suæ Deus non emolliebat. *Lit-*

2 Cor. 3. Rom. 7. *Littera enim*, ut idem Apostolus, OCCIDIT. *Nam concupiscentiam*, ait ad Romanos, *nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. . . . & inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione acceptâ per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.*

De Corr. & grat. cap. 1. Apostolum secutus Augustinus: " Si „ desit, inquit (gratia) AD HOC LEX „ ADEST, UT REOS FACIAT ET „ OCCIDAT.

De Grat. Christ. cap. 8. „ Usque adeò aliud est lex, aliud est „ gratia, UT LEX NON SOLUM NI„ HIL PROSIT, VERUM ETIAM PLU„ RIMUM OBSIT, NISI ADJUVET „ GRATIA.

Si hæc de ipsa Lege Apostolus & Augustinus: Quid apud Magistros Vestros peccasse potuit propositio, quæ de exhortationibus & gratiis exterioribus similia asseruit? Sed de Lege iterum ac fusius postea, ubi *de Lege Antiqua ac Nova:* Hic, ubi de *Infirmitate hominis lapsi* sermo est, pauca ista sufficiant; ut pateat quanta sit hominis lapsi non solùm infirmitas, sed & malitia, qui ipsis etiam exhortationibus & gratiis exterioribus ad magis sese obdurandum abutatur.

IV.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Peccator non est liber, nisi ad malum, sine

sine Gratia Liberatoris. Prop. 38.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Hæc ipsa doctrina Christi est apud Joannem 8. *Amen, Amen, dico vobis: quia* OMNIS QUI FACIT PECCATUM, SERVUS EST PECCATI... SI ERGO VOS FILIUS LIBERAVERIT, VERE LIBERI ERITIS. Ex quo consequitur: Ergo verè liberi non eritis, si vos filius non liberaverit. Vel, quod idem est: Ergo verè liberi non eritis sine Gratia Salvatoris. Si autem non verè liberi sine gratia Salvatoris; non eritis sine gratia Salvatoris liberi nisi ad malum. Porrò non esse liberum nisi ad malum, non est esse verè liberum, sed esse verè servum peccati. Joan. 8.

Ex doctrina Christi hæc pronuntiat Augustinus:

„ IN BONO LIBER ESSE NULLUS De Corr.
„ POTEST, NISI FUERIT LIBERA- & Gr. c. 1.
„ TUS AB EO QUI DIXIT: *Si vos Fi-*
„ *lius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

„ NEC LIBERA VOLUNTAS DI- Ep. 145.
„ CENDA, quamdiu est vincentibus & al. 144.
„ vincientibus cupiditatibus subdita. ad Anast.

„ Nam NEQUE LIBERUM ARBI- De Sp. &
„ TRIUM QUIDQUAM NISI AD PEC- Litt. c. 3.
„ CANDUM VALET, si lateat veritatis
„ via.

„ Liberum arbitrium CAPTIVATUM L. 3. ad
„ NON NISI AD PECCANDUM VA- Bon. c. 8.
„ LET.

„ Potius illi oppugnant arbitrium libe- Ep. 217.
„ rum, ad Vit.

„ rum, qui oppugnant Dei gratiam, QUA „ VERE AD BONA ELIGENDA ET „ AGENDA FIT LIBERUM.

Oper. Imperf. Lib. 3. c. 101. „ LIBERUM... ESSE QUEMQUAM „ AD AGENDUM BONUM SINE AD- „ JUTORIO DEI. . . . HOC VOS DI- „ CITIS: HINC ESTIS CÆLESTIA- „ NI ET PELAGIANI.

Ibid. c. 112. „ NEMO NISI PER GRATIAM „ CHRISTI ad bonum quod vult agen- „ dum, & ad malum quod odit non agen- „ dum, POTEST HABERE LIBERUM „ VOLUNTATIS ARBITRIUM.

Ib. c. 113. „ Quid eſt quod ait Dominus. . . . *Sine* „ *me nihil poteſtis facere*, *niſi* quia NEMO „ AD BENE AGENDUM, QUEM NON „ IPSE LIBERAT, LIBER EST.

Ib. c. 114. „ Videas rectè dici à Chriſto non po- „ tuiſſe, *Sine me nihil poteſtis facere*, „ SI AD BENE AGENDUM SINE „ GRATIA CHRISTI LIBERI ESSE „ POTUISSENT.

Hæc ex verbis & doctrina Chriſti Auguſtinus, quæ Magiſtris Veſtris exhibenda credidimus, ut intelligant ſe propoſitionem ipſo Chriſti ore in Evangelio conſecratam, & apud S. Auguſtinum celeberrimam condemnaſſe.

At propoſitio non conſonat doctrinæ Scholæ, ubi libertas eſt POTESTAS AD OPPOSITA, quâ peccator etiam ſine gratiâ Liberatoris potens eſt, non tantùm ad agendum malum, ſed etiam ad agendum bonum.

R. Libertatem illam Scholæ, ſeu, Poteſtatem, quâ peccator etiam ſine gratia Salvatoris POTENS eſt ad agendum bonum.

num & malum, nequaquam negat propositio: sed eam solam libertatem seu potestatem in illo negat, quam negat Christus & Augustinus, hoc est, libertatem seu potestatem, quâ sic potens est ad agendum bonum ut etiam reipsâ bonum agat. Hæc autem libertas seu potestas non habetur sine gratia Liberatoris, ipso Liberatore testante: *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.*

Sed liceat hìc, *Theologi Academici*, unum vos interrogare. Verusne est rumor, qui ad nos jam pridem delatus est, Magistros Vestros contra Majorum suorum doctrinam sentire, quòd libertatem ad peccandum formaliter non habeat, qui omni omninò gratiâ destitutus est? Si ita sit, quâ ratione condemnare potuerunt propositionem, quæ asserit, *Peccatorem non esse liberum, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris*? Hanc enim dum condemnant, contrariam probant, quæ asserit, *Peccatorem esse liberum, etiam ad bonum, sine gratiâ Liberatoris:* Hoc autem, si verus est rumor, sententiæ ipsorum repugnat.

Ut ut sit, condemnari ab eis non potuit propositio, quæ in peccatore, sine gratia Liberatoris, non aliam negat libertatem seu potestatem ad bonum, quàm quâ ita ad bonum potens est, ut bonum etiam reipsâ agat.

V.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil

hil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali & incapax ad omne bonum. Prop. 39.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Ad propositionem hanc asserendam sufficiunt quæ allegata sunt hoc §. n. 1. Quin vel unum ex illis sufficit, quod ex Augustino & Prospero definivit Concilium Arausicanum II. Can. 22. NEMO HABET DE SUO, NISI MENDACIUM ET PECCATUM.

Si enim nemo de suo habeat nisi mendacium & peccatum; nemo etiam de suo habet aliquid luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: Quia alioquin haberet de suo aliquid, quod non foret mendacium & peccatum: Haberet enim de suo vel aliquid luminis, non ad aberrandum; vel aliquid ardoris, non ad se præcipitandum; vel aliquid virium, non ad se vulnerandum: Hoc autem de suo habere, esset habere de suo aliquid præter mendacium & peccatum.

Serm. 32. aliàs 20. de divers. & 31. ex Homiliis 50.

„ Quære, inquit Augustinus, quid sit „ hominis proprium? PECCATUM invenies. Quære, quid sit hominis pro- „ prium? MENDACIUM invenies.

Serm. 176. aliàs 10. de Verb.

Idem: " Nostrum nihil est, NISI PEC- „ CATUM quod habemus.

Ergo nec nostrum est lumen, quo non aberramus; nec ardor, quo nos non præcipi-

cipitamus; nec vires, quibus nos non vulneramus.

At fortè Magistris Vestris non placuit, quod addit propositio: *Et capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

R. Nostris sanè hoc ita placebat olim, ut frequentissimè ex Augustino id nobis inculcarent.

„ GRATIÆ TUÆ deputo, inquit Augustinus, & QUÆCUMQUE NON FECI MALA. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? Si GRATIÆ DEI deputet Augustinus, *quæcumque non fecit mala*; quorumcumque certè malorum capacem sese agnoscit, nisi gratia ipsum præveniat. Confess. lib. 2. c. 7.

„ Agnosce ergo, inquit, GRATIAM ejus, cui debes & quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est, & dimissum vidisti: Mihi debes & tu quod non fecisti. NULLUM EST ENIM PECCATUM, quod facit homo, quod non POSSIT facere & alter homo, si desit Rector, à quo factus est homo. Serm. 99. aliàs 23. ex Homiliis 50.

Bina hæc Augustini loca memoriæ & cordi nostro altè infigere conabantur Magistri nostri: nec ea indè unquam, ut confidimus, Magistrorum Vestrorum censura eradet.

VI.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. Prop. 40.

Per

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

Propoſitionem iſtam ſic nobis demonſtrabant Magiſtri noſtri: " Sine gratia nihil „ amare poſſumus propter Deum: Charitas enim, quâ aliquid diligimus propter „ Deum, EX DEO EST 1 Joan. 4. Atqui dum amamus aliquid non propter „ Deum, peccamus: Jubemur enim alia, „ quæ amamus, amare propter Deum: „ Ergo ſine gratia nihil amare poſſumus, „ niſi peccemus; adeóque niſi ad noſtram condemnationem. Huic Magiſtrorum noſtrorum ratiocinio quid reſpondeant Magiſtri Veſtri, neſcimus.

Paria eruere poſſemus ex locis, quæ antè allegata ſunt ad propoſitiones ſuperiores: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum: Sine tuo numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium: Liberum arbitrium captivatum non niſi ad peccandum valet* &c. Sed manifeſta & obvia eſt omnibus conſequentia, quâ ex illis propoſitio à Magiſtris Veſtris condemnata deducitur. Ipſos eam non vidiſſe miramur.

VII.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Omnis cognitio etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire niſi à Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad

ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris. Prop. 41.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Non arbitramur à Magistris Vestris condemnari priorem propositionis partem: *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à Deo*; ideoque nec illam asserendam putamus. Solam posteriorem ex sacris Litteris & SS. Patribus vindicabimus.

Sacræ Litteræ de quavis scientia, quæ fine gratia & charitate est, pronuntiant: *Scientia* INFLAT. Si autem inflet, *non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum* &c. 1 Cor. 8.

Quantam verò præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris produxerit in Philosophis Ethnicis, describit Apostolus his verbis: *Cùm cognovissent Deum*, NON SICUT DEUM GLORIFICAVERUNT, AUT GRATIAS EGERUNT: SED EVANUERUNT *in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, &* MUTAVERUNT GLORIAM INCORRUPTIBILIS DEI IN SIMILITUDINEM IMAGINIS CORRUPTIBILIS HOMINIS &c. Rom. 1.

Inter Patres Augustinus: " Liberum arbitrium, inquit, . . . desertum divino adjutorio, QUALIBET SCIENTIA LEGIS EXCELLAT, nullo modo habebit justitiæ soliditatem, sed INFLA- Epist. 157 aliàs 89. ad Hilarium.

„ TIONEM IMPIÆ SUPERBIÆ, ET
„ EXITIOSUM TUMOREM.

Lib. de grat. Chriſt. c. 26.

Idem: " Tunc ſcientia non inflat, quan-
„ do charitas ædificat.

Ergo quando charitas non ædificat, tunc inflat. Ubi autem non eſt gratia, ibi non eſt charitas. Proindè ubi non eſt gratia, *ſcientia inflat*, hoc eſt, *præſumptionem*, *vanitatem*, & *oppoſitionem ad ipſum Deum producit*.

De grat. & lib. arb. cap. 19.

Rurſùs Auguſtinus: " Scientia, inquit,
„ quando eſt in homine, charitas eſt ne-
„ ceſſaria, NE INFLETUR.

Ep. 217. ad Vit. al. 107.

„ GRATIA SI DESIT, VIDE-
„ MUS ETIAM OBESSE DOCTRI-
„ NAM.

De verit. præd. & grat. L. 1. c. 23.

Fulgentius de Philoſophis Ethnicis:
„ QUIA, inquit, GRATIAM NON AC-
„ CEPERUNT, proptereà cognoſcentes
„ Deum GRATIAS NON EGERUNT
„ ... PER ILLAM COGNITIONEM
„ cæcum cor à ſemetipſo INFLATUR
„ IN MORTEM.... Illâ cognitione
„ cor obſcuratur inſipiens, dum quod Dei
„ eſt, homo ſibi ſuperbus aſſignat....
„ Cognitio ergo illa PECCATO ADJICIT
„ PRÆVARICATIONIS REATUM...
„ illic ſcientia inflans NUTRIT AUGET-
„ QUE PECCATUM.

Hæc conſiderent Magiſtri Veſtri, & an graviori cenſurâ digna non ſint, ſi cenſurâ digna ſit condemnata ab ipſis propoſitio, ſedulò expendant.

VIII

VIII.

Propositiones per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnatæ.

Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas. Prop. 42.

Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate? Prop. 48.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ assertæ.

1. Quòd *sine fidei sacrificio ac lumine nihil sit nisi impuritas, nisi indignitas, nisi tenebræ, nisi abberratio, nisi peccatum*; Scripturarum & Patrum testimoniis confirmatur.

Eratis enim, inquit Apostolus, *aliquando* TENEBRÆ Tunc scilicet, cùm adhuc gentiles eratis sine lumine fidei. Eph. 5.

Nihil discrevit inter nos, inquit Petrus, *& illos*, FIDE PURIFICANS CORDA EORUM. Si fide Deus corda purificet; non potest sine fide in cordibus esse NISI IMPURITAS. Act. 15.

Sine fide impossibile est placere Deo, ait iterum Apostolus. Ergo sine fide nihil placet Deo. Quod autem non placet Deo, quid est nisi *impuritas, indignitas, tenebræ, aberratio, peccatum*? Heb. 11.

Ex Augustino & Prospero Concilium Arausicanum II. Can. 22. definit: *Nemo*

de suo habet, nisi mendacium & peccatum: Atqui ante lumen fidei nihil habet homo nisi de suo: Ergo ante lumen fidei non habet nisi mendacium & peccatum.

In Psal. 31. Enan. 2. Iterum Augustinus: " Debemus, inquit, „ nulla opera præponere fidei, id est, ut „ ante fidem dicatur quisquam benè operatus. EA ENIM IPSA OPERA, „ QUÆ DICUNTUR ANTE FIDEM, „ quamvis videantur hominibus laudabilia, „ INANIA SUNT.

Epist. ad Ruff. c. 7. Et Prosper: " *Omne quod non est ex fide* „ *peccatum est*, ut scilicet intelligat (homo) „ justitiam infidelium non esse justitiam: „ Quia SORDET NATURA sine gratia.

Cont. Collat. c. 13. Idem: " Manifestissimè, inquit, patet, „ in impiorum animis nullam habitare virtutem; sed omnia eorum opera immunda esse atque polluta, habentium sapientiam non spiritualem, sed animalem; „ non cœlestem, sed terrenam; non christianam, sed diabolicam; non à Patre luminum, sed à principe tenebrarum, dum „ per ea ipsa, quæ non haberent nisi dante Deo, subduntur ei qui primus recessit „ à Deo.

2. Jam quid aliud etiam esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, nisi peccatum, SINE CHRISTO?

Joan. 8. Ipse dixit: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Et iterum: *Ego lux in*

Ib. c. 12. *mundum veni.* Ergo si sine Christo simus, sine luce sumus: Si sine luce; quid sumus nisi tenebræ?

Joan. 14. *Ego*, ait iterum, *sum via, veritas, & vita.* Ergo si sine Christo simus; sine *via* su-

ſumus: Si ſine via; quid ſumus niſi ***aberratio***? Si ſine Chriſto ſimus, ſine ***veritate*** ſumus: ſi ſine veritate, quid niſi vanitas & falſitas? Denique ſi ſine Chriſto ſimus; ſine ***vita*** ſumus: Si ſine vita, quid ſumus niſi peccatum & mortui peccatis?

„ SINE CHRISTO, inquit Hierony-„ mus, omnis virtus IN VITIO EST. In Ep. ad Gal. c. 4.

Auguſtinus: " Chriſto debemus, quòd „ ſumus, quòd homines ſumus, quòd „ benè viximus, quod rectè intelleximus, „ illi debemus: noſtrum nihil eſt niſi pec-„ catum quod habemus. Serm. 176. aliàs 10. de Verb. Apoſt.

Proſper in Carmine cap. 40.

„ Chriſtus enim tua Juſtitia eſt, quo te
„ duce oportet
„ Currere, nè curſus, CHRISTO SI-
„ NE SIT VAGUS ERROR.

3. Poſtremò, quid aliud eſſe poſſimus SINE CHARITATE, ***niſi tenebræ***, ***niſi aberratio & niſi peccatum***?

Si.... charitatem non habuero, inquit Apoſtolus, NIHIL SUM. ſi nihil, quid aliud, ***niſi tenebræ***, ***abberratio***, ***peccatum***? 1 Cor. 15.

„ Quidquid ſe putaverit homo benè fa-„ cere, ait Auguſtinus, SI FIAT SINE „ CHARITATE, NULLO MODO FIT „ BENE. De gr. & & lib. arb. c. 18.

Idem: " Non fructus eſt bonus, qui „ de charitatis radice non ſurgit. De Sp. & Litt. c. 14.

Et iterum ſine dubitatione interrogans: „ Quis dubitet, inquit voluntatem nullo „ modo juſtitiam diligentem, non modò „ eſſe malam, ſed etiam PESSIMAM „ VOLUNTATEM? Lib. de Pecc. mer. & rem. c. 18.

Quid verò pessima voluntas; *nisi tenebræ, nisi aberratio, nisi peccatum*?

Dubitasse videntur Magistri Vestri, qui propositiones binas antè expressas condemnarunt. Non dubitaverunt olim nostri, qui *sine fide, sine Christo, sine charitate, nihil nobis nisi, impuritatem, nisi indignitatem, nisi tenebras, nisi aberrationem, nisi peccatum* superesse, sedulò inculcabant.

§. II.

De Omnipotentia Gratiæ Salvatoris, ac Prædestinatione.

De causa primi hominis, hoc est, *de Infirmitate hominis in hoc statu naturæ lapsæ, & Gratiæ necessitate* jam egimus §. I. & *Religionem Christianam*, cujus pars, teste Augustino, in ea causa consistit, vindicavimus asserendo propositiones varias, quas Magistri Vestri, *Theologici Academici*, condemnarunt. Nunc de causa secundi hominis, quæ *Religionis Christianæ* pars altera est, eodem teste Augustino tractabimus.

Causa secundi hominis hæc est: Ut quemadmodum primus homo venumdedit nos sub peccato, præcipitavit in mortem, & perdidit; ita nos secundus à peccato redimat, liberet ad vitam, & salvet. Hoc autem præstat per omnipotentem suam gratiam, quâ, quantumvis infirma sit & corrupta voluntas humana, operatur tamen in ipsa velle & perficere pro bona sua voluntate, faciens etiam de nolente volentem, dans cor novum, & faciens ut in præceptis ipsius ambulemus. Ve-

Verùm ut circa causam primi hominis semper erravit humana superbia; ita & circa causam secundi. Nam quemadmodum numquam eò redigi potuit, ut confiteretur, liberum hominis arbitrium per primum hominem sic infirmatum ac attenuatum esse, ut nihil omnino, quod ad salutem veramque justitiam pertineat, facere possit ex se; adeóque de suo non habere nisi mendacium & peccatum: ita nec ut veraciter agnosceret, liberum arbitrium sic adjuvandum esse per secundum hominem, ut nihil omnino, quod ad salutem spectet, possit facere, nisi ipse illud per gratiam suam in eo operetur, dans velle & perficere; adeoque nihil boni salutaris habere aut meriti, quod gratis ab eo datum non sit.

Et Pelagiani quidem non aliam primùm gratiam agnoscebant, quàm naturam; deindè, & legem, & doctrinam, & Christi exempla; tum demum & gratiam aliquam interiorem; sed quæ omninò subjecta esset libero arbitrio. Semi-Pelagiani libero arbitrio tribuebant initium fidei; hujus autem merito cætera dicebant impetrari ac dari à Deo. Molinistæ credunt, tum ad initium fidei, tum ad alia opera omnia salutaria, necessariam esse gratiam; sed per hanc non dari nisi posse cui nihil desit ad agendum; ipsum verò agere vel non agere, positum esse in libero arbitrio. Hinc non à gratiâ prædeterminari liberum arbitrium ad agendum; sed à libero arbitrio gratiam. Atque hâc ratione gratiæ Dei substrahunt istam prædeterminationem, quam libero arbitrio vindicant.

Huc collimat condemnatio illarum

Propoſitionum, quæ gratiam (ex parte Dei) in omnipotente ipſius voluntate conſtitu-runt. Quas eò quidem magis à nobis aſ-ſerendas putavimus, quòd haud ita pridem intellexerimus, Candidatum quemdam in ſolemnibus pro Laurea Doctorali Diſputa-tionibus palam interrogatum, *Cenſeretne gratiam à libero arbitrio, an liberum arbi-trium à gratia determinari ad agendum?* aperiè reſpondiſſe, cenſere ſe, determinari gratiam à libero arbitrio, non liberum ar-bitrium à gratia. Cùmque illi objiceretur, quòd recederet ab avita Scholæ Lovanien-ſis ſententia, & doctrina ipſius Facultatis Theologicæ in ſua contra Patres Societa-tis CENSURA; ingenuè id faſſum eſſe; ſed tantum, inquiebat, recedo in quæſtio-ne exigui momenti. Iterum verò rogatum rationem dare cur recederet, dixiſſe: Quia ſic faciliùs intelligimus cum gratia conciliari li-bertatem. Obſtupeſcite, *Theologi Lovanien-ſes*, & cautè vigilate, dum profeſſi Moli-niſtæ in Facultatem Veſtram irrepunt. Quid? exigui momenti queſtio eſt, An gratia determinetur à libero arbitrio, an li-berum arbitrium à gratia? Imò verò præci-puus gratiæ cardo in ea quæſtione vertitur. Qua de re legite *Juſtificationem ſeu Defen-ſionem Cenſuræ Lovanienſis* Cap. XI. Quis verò ferat dici à Theologo Lovanienſi, ideò ſe à doctrina gratiæ prædeterminan-tis, hoc eſt, doctrina SS. Auguſtini & Thomæ, & Scholæ ſuæ recedere, quòd in ſententia oppoſita faciliùs intelligat cum gratia conciliari libertatem? Debebat enim vel ideò non recedere: cùm ipſe Auguſti-nus difficultatem iſtam in ſua doctrina agnoſ-

agnoscat; ac proindè suspecta esse debeat omnis doctrina de gratia, in qua arbitrii libertas cùm gratia facilè conciliatur. Ad propositiones veniamus.

I.

Propositiones per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnatæ.

Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quòd jubet. Prop. 11.

Dei gratia nihil est aliud, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis. Prop. 19.

Vera gratiæ idea est, quòd Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt. Prop. 20.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

De gratia *ex parte Dei* sermo est. Hanc autem *aliud non esse, quàm voluntatem Omnipotentis Dei jubentis & facientis quod jubet*, Scripturæ, Patres, & Ecclesia universa profitetur.

Gratiam filiis Novi Testamenti promittit Deus per Prophetam his verbis: FACIAM *ut in præceptis meis ambuletis.* Et tamen non promittit aliud, quàm facturum se voluntate suâ omnipotente, ut faciant quod jubet. Ezech. 36.

 De

Phil. 2. De gratia loquitur Apoſtolus, dum ait: *Deus eſt qui* OPERATUR *in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et tamen non dicit aliud, quàm Deum in Philippenſibus omnipotenti ſuâ ac bona voluntate operari velle & perficere id quod jubet.

Heb. 13. Gratiam Hebræis precatur, quibus ſcribit: *Deus pacis. . . . aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem*, FACIENS IN VOBIS, QUOD PLACEAT CORAM SE. Et tamen non precatur ipſis aliud, quàm ut Deus omnipotente ſua voluntate *in ipſis faciat quod placeat coram ſe*, hoc eſt, quod jubet.

De Dono Perſ. c. 20. Gratiam petebat Auguſtinus, quando ingemiſcebat toties: *Da, Domine, quod jubes, & jube quod vis.* " Dixi, inquit, „ Deo noſtro, dixi, & ſæpè dixi: *Da* „ *quod jubes, & jube quod vis.* Et tamen non petebat aliud, quàm ut Deus omnipotenti ſuâ voluntate daret ipſi facere quod jubet.

Epiſt. Synod. ad Joannem & Venerium &c. De gratia loquebantur Epiſcopi in Sardinia exules: " Ita, fit, inquiunt, ut ſe „ operari debere homo cognoſcat, dum „ præceptum accipit; & Deo ſe ſciat ſem„ per omne bonum debere quod vult ac „ facit, quem, teſte Apoſtolo, cognoſcit „ operari in homine *& velle & perficere* „ *pro bona voluntate:* qui ſuis fidelibus di„ gnatus eſt GRATIAM promittere per „ Prophetam dicens: *Spiritum meum dabo* „ *in vobis, & faciam ut in juſtificationi*„ *bus meis ambuletis, & judcia mea obſer*„ *vetis & faciatis.* Cùm ergo Deus in „ homine operari cœperit velle, tunc ho„ mo

„ mo convertitur, & eodem in se ope-
„ rante, undè ipsi placeat, operatur. De
„ Deo enim dicit Apostolus: *Aptet vos in*
„ *omni bono, ut faciatis voluntatem ejus,*
„ *faciens in vobis, quod placeat coram se.*

De gratia hìc sæpius mentio est; nec tamen significatur esse aliud, quàm omnipotens Dei voluntas, quâ *operatur in homine velle & perficere*; *quâ facit, ut in præceptis ipsius ambulemus*; *quâ in homine, unde ipsi placeat, operatur* &c.

Neque aliam de gratia ideam habet Ecclesia universa, ut ipsa profitetur in suis Orationibus, quibus gratiam postulat. Sic enim eam postulat.

„ FAC me tuis semper inhærere man- In Ordin.
„ datis. Missæ ante Commun.

„ FAC nos tuis semper obedire man- Orat. Feriæ 3. post
„ datis. Dom. 2. Quadr.

„ Tua nos, Domine, medicinalis OPE- Postcom-
„ RATIO.... tuis semper faciat inhære- m. Dom.
„ re mandatis. 20. post Pent.

„ Omnipotens sempiterne Deus, FAC Dom. in-
„ nos tibi semper & devotam gerere vo- fra Octav.
„ luntatem, & Majestati tuæ sincero cor- Ascens.
„ de servire.

„ Sancti nominis tui timorem pariter ac Dom infra Octav.
„ amorem FAC NOS HABERE perpe- Corp.
„ tuum. Christi.

„ FAC nos amare quòd præcipis. Dom. 14. post Pent.

Gratiam istis Orationibus, & istiusmodi plurimis postulat Ecclesia: Et tamen non aliud postulat, quàm ut Deus Omnipotenti suâ voluntate in nobis faciat quòd jubet.

Tandem conspicua est hæc doctrina in ipsis Orientalium Liturgiis, ut videre est

apud Clariſſimum Renaudotium, qui haſce Liturgias verſas in Latinum Sermonem, & egregiis omnique doctrina refertis Commentariis & notis illuſtratas nuper Pariſiis edidit.

Tom. 1. pag. 48. & 320. In Liturgia Coptica Sancti Cyrilli nomine vulgata ſic orat Sacerdos. " Mitte. . . Paraclitum Spiritum tuum, qui liberè *propria poteſtate operatur*, ſecundùm voluntatem *tuam*, *puritatem in iis quos diligit*. Quod affin eſt huic dicto Didymi Alexandrini de Spiritu Sancto: *Subſtantia eſt ſapientiæ*, *& ſcientiæ*, *& ſanctificationis* EFFECTRIX.

Tom. 2. p. 325. & 332. In Liturgia Syrâ Severi. " Omnes ad bonam voluntatem tuam converte & diſpone, *quia tu es qui facis*, *convertis*, & ordinas quodcumque ad bonum.

Itaque juxta Sacras Litteras, juxta SS. Patres, juxta Eccleſiam univerſam, vera gratiæ idea eſt, quam exprimunt propoſitiones à Magiſtris Veſtris condemnatæ, & à nobis aſſertæ.

At dicetis, ſi gratia non ſit aliud quàm omnipotens Dei voluntas, jubentis & facientis quod jubet; jam gratia neceſſitans eſt, & libertatem tollit.

R. Imò verò, vel ideò neceſſitans non eſt, nec libertatem tollit; quia eſt ipſa voluntas Dei omnipotens. Nam quia omnipotens eſt, ſic in libero arbitrio operatur, ut libertatem non tollat. " Cùm enim

1. P. Q. 19. Art. 8. in c. „ aliqua cauſa EFFICAX FUERIT AD AGENDUM, ait S. Thomas, effectus conſequitur cauſam, non tantùm ſecundum id quòd fit; ſed etiam SECUNDUM MODUM FIENDI vel eſſendi....

Cùm

„ Cùm igitur VOLUNTAS DIVINA
„ SIT EFFICACISSIMA, non solùm se-
„ quitur quòd fiant ea quæ Deus vult fieri,
„ sed quòd EO MODO FIANT, QUO
„ DEUS EA VULT FIERI.

Idem: " VOLUNTAS DIVINA non
„ solùm se extendit ut aliquid fiat per rem
„ quam movet, sed ut etiam eo modo fiat
„ quo congruit naturæ ipsius; & IDEÒ
„ MAGIS REPUGNARET DIVINÆ
„ MOTIONI, si voluntas ex necessitate
„ moveretur, quod suæ naturæ non com-
„ petit, quàm si moveretur liberè, prout
„ competit suæ naturæ.

1. 2. Q. 10. Art. 4. ad 1.

Absit itaque ut voluntatem humanam necessitet omnipotens Dei voluntas: cùm hæc ipsa voluntati humanæ libertatem tribuat.

II.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare. Prop. 10.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Quòd gratia sit operatio manus Omnipotentis Dei, jam numero 1. abundè demonstratum est: quòd verò illam *nibil impedire possit aut retardare*, fidei catholicæ articulus est, nunc ex Scripturis & Traditione demonstrandus.

2 Paral. 20. *Domine Deus. . . . in manu tua est fortitudo & potentia*, NEC QUISQUAM TIBI POTEST RETISTERE.

Esth. 13. *Domine Rex Omnipotens. . . .* NON EST QUI POSSIT TUÆ RESISTERE VOLUNTATI.

Deus autem noster in Cœlo, OMNIA QUÆCUMQUE VOLUIT FECIT. Psl. 113.

Rom. 9. *Voluntati enim ejus* QUIS RESISTIT?

Apud Petrum Diaconum in Epist. ad Episcopos in Sardinia exules inter opera S. Fulgentii. Liturgia Basilii: " Domine. . . malos, " quæsumus, bonos facito, bonos in bonitate conserva: omnia enim potes, & " non est qui contradicat tibi: CUM ENIM VOLUERIS, SALVAS, ET " NULLUS RESISTIT VOLUNTATI " TUÆ.

Ench. c. 96. Augustinus: " Deus non ob aliud veraciter vocatur Omnipotens, nisi quia " quidquid vult potest; NEC VOLUNTATE CUJUSQUAM CREATURÆ " VOLUNTATIS OMNIPOTENTIS IMPEDITUR EFFECTUS.

Ib. c. 98. " Non est utique verum quod in Psalmo dicitur: *Quæcumque voluit fecit*; &, " QUOD EST INDIGNIUS, ideò non " fecit, quoniam nè fieret quod volebat " OMNIPOTENS, voluntas hominis IMPEDIVIT.

Ib. c. 103. " Quia OMNIPOTENS VELLE " INANITER NON POTEST, quodcumque voluerit.

" DEO VOLENTI SALVUM FACERE, NULLUM HOMINIS RESISTIT ARBITRIUM. . . . Non " est itaque dubitandum, Voluntati Dei, " *qui in Cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit*, ... HUMANAS VOLUN-

„ LUNTATES NON POSSE RESI- De Corr. & Grat. c. 14.
„ STERE.

Episcopi in Sardinia Exules : " SEMPER VOLUNTAS DEI OMNIPOTENTIS IMPLETUR, quia potestas ejus nullatenus vincitur. Ipse est enim qui *omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis*, & CUJUS VOLUNTATI NEMO RESISTIT.

Prosper in Carmine de Ingrat. c. 13.

„ Nam si nemo usquam est, quem non velit esse redemptum;

„ HAUD DUBIE IMPLETUR QUIDQUID VULT SUMMA POTESTAS. Epist. Synod. ad Joan. & Venetii.

Denique Ecclesia Universa profitetur: *Credo in Deum Patrem* OMNIPOTENTEM. Veraciter autem non profiteretur omnipotentem, nisi crederet *nihil esse, quod operationem manus ipsius omnipotentis impedire possit aut retardare.*

Ergo, inferetis, interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.

Nequaquam id sequitur. Nam etsi verum sit, quòd interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistatur quoad effectum illum, quem voluntate absolutâ, efficaci, &, ut ajunt, consequente vult Deus: falsissimum tamen est, quòd numquam ei resistatur quoad effectum, quem tantùm vult voluntate non absolutâ, inefficaci, & antecedente. Effectus enim hujusmodi impeditur per voluntatem humanam, ut experimento quotidiano discimus in peccatoribus, qui volunt & desiderant converti; sed non volunt tam fortiter ac perfectè, ut re ipsâ

ipſâ convertantur. In his enim Deus voluntate abſolutâ, efficaci, & conſequente vult pias illas volitiones ac deſideria converſionis; ſed voluntate non abſolutâ, inefficaci, & antecedente tantùm vult converſionem ipſam. Ideoque Deo & interiori ipſius gratiæ quoad pias illas volitiones & deſideria non reſiſtitur; ſed quoad converſionem ipſam ſic ei reſiſtit humana voluntas, ut dum vult creaturæ adhærere magis quàm Deo, impediat quo minus effectum illum interior Dei gratia conſequatur.

Inconcuſſus ergo, contra Magiſtrorum Veſtrorum cenſuram ſtat fidei noſtræ articulus, quo credimus in Deum Omnipotentem, *cujus operationem nihil impedire poſſit aut retardare.*

III.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Quando Deus vult ſalvare animam quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei. Prop. 12.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

Propoſitio hæc ſi de voluntate Dei abſolutâ, ut debet, intelligatur, non minus ad fidem pertinet, quàm quæ proximè aſſerta eſt.

Ench.c.98. „ Quis enim, inquit Auguſtinus, tam im-

„ impiè desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, QUAS VOLUERIT, QUANDO VOLUERIT, UBI VOLUERIT in bonum non posse convertere?

Si autem Deus malas hominum voluntates, *quas voluerit*, *quando voluerit*, *ubi voluerit*, in bonum possit convertere: quis tam impiè desipiat, ut dicat, quòd *quando Deus vult salvare animam*, *quocumque tempore*, *quocumque loco*, *effectus indubitabilis* NON *sequatur voluntatem Dei*? Hoc tamen dicunt Magistri Vestri, dum propositionem contradictoriam condemnant.

Augustino succinit Prosper in Carmine de Ingratis cap. 16. his versibus:

„ At verò OMNIPOTENS hominem cùm GRATIA salvat,
„ Ipsa suum consummat opus; cui TEMPUS AGENDI
„ SEMPER ADEST quæ gesta velit; NON MORIBUS ILLI
„ SIT MORA; NON CAUSIS anceps suspenditur ULLIS.

Si, quando *omnipotens gratia salvat*, seu salvare vult hominem, *semper illi adsit tempus agendi quæ velit*; si *nulla illi sit mora* moribus aut voluntate malâ; si *nullis causis* suspendatur anceps: Quis iterum sic desipiat, ut dicat, *quod quando Deus vult salvare animam*, *quocumque tempore*, *quocumque loco*, *effectus indubitabilis* NON *sequatur voluntatem Dei*?

Sic tamen contra Augustinum & Prosperum sapiunt Magistri Vestri.

IV.

IV.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas ei resistit. Prop. 13.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Jam satis ad propositiones præcedentes numeris II. & III. asserta fuit hæc propositio.

Adjicimus locum unum è Sacris Litteris, qui ipsam propositionem *in terminis*, ut ajunt, continet: *Domine Rex omnipotens....* NON EST QUI POSSIT TUÆ RESISTERE VOLUNTATI, SI DECREVERIS SALVARE ISRAEL. (Esth. 13.)

Nisi dixerint fortè Magistri Vestri, hìc sermonem esse de salvando corpore; in propositione verò, de salvandâ animâ. Quasi verò non tam omnipotens sit Deus ad salvandam animam, quàm ad salvandum corpus.

Repetimus & locum Augustini: DEO VOLENTI SALVUM FACERE, NULLUM HOMINIS RESISTIT ARBITRIUM. (De Corr. & grat. cap. 14.)

Ubi ipsa iterum propositio disertissimè ab Augustino exprimitur.

Itaque aut propositionem cum Scripturâ & Augustino à censura absolvant Magistri Vestri, aut Scripturam & Augustinum cùm propositione condemnent.

V.

V.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum. Prop. 14.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Et hæc propositio satis in præcedentibus asserta est: sed locum unum alterumve addemus ex Ambrosio & Augustino, quo asseratur manifestiùs.

Ambrosius: " QUOS JESUS RESPI- Lib. 1.
" CIT, PLORANT. Negavit primò Pe- Exp. E-
" trus, & non flevit; quia non respexerat vang. secundum
" Dominus. Negavit secundò, & non Luc. ad
" flevit; quia adhuc non respexerat Do- Luc. 22.
" minus: Negavit & tertiò; RESPEXIT
" JESUS, ET ILLE AMARISSIME
" FLEVIT.

Citatur iste Ambrosii locus ab Augustino De gr.
& sic illustratur: " Non potest dici, quòd Chr. c. 4.
" corporalibus oculis eum Dominus visibiliter admonendo respexerit. Et ideò quod ibi scriptum est, *Respexit eum Dominus*, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. MISERICORDIA DOMINUS LATENTER SUBVENIT, COR TETIGIT, MEMORIAM REVOCAVIT, INTE-

" RIO-

„ RIORE GRATIA SUA VISITAVIT „ PETRUM, interioris hominis uſque „ ad exteriores lachrymas movit & pro- „ duxit affectum.

Si ex Evangelio verè dixerit Ambroſius, quòd poſt trinam negationem AMARISSIME FLEVERIT PETRUS, QUIA RESPEXIT ILLUM DOMINUS, &, ut explicat Auguſtinus, QUIA MISERICORDIA DOMINUS LATENTER SUBVENIT, COR TETIGIT, MEMORIAM REVOCAVIT, INTERIORE SUA GRATIA VISITAVIT PETRUM, quid-ni verè dixerit propoſitio, *Quòd quantumcumque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oporteat ut ſe dedat* &c?

De Præd. SS. c. 8. „ Hæc itaque gratia, inquit iterum Auguſtinus, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, A NULLO DURO CORDE RESPUITUR: „ ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia „ primitus auferatur. Si à nullo duro corde reſpuitur; ergo nec reſpuitur à corde peccatoris quantumcumque à ſalute remoti & obſtinati.

Damnent iterum hìc Ambroſium & Auguſtinum Magiſtri Veſtri; aut propoſitionem, quam damnarunt, abſolvant.

VI.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Quando Deus mandatum ſuum & ſuam ex-

externam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit. Prop. 15.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Præter ea, quæ ad propositiones superiores asserendas allegata sunt, atque ad hanc simul asserendam sufficiunt; audite Augustinum & Gregorium, ut in ore duorum istorum Patrum stet propositio.

Augustinus: " Dixi, inquit, Deo nostro, dixi, & sæpè dixi: DA QUOD JUBES, ET JUBE QUOD VIS. Hoc verò quid est aliud quàm dicere: *Quando, Deus, mandatum tuum & tuam externam locutionem comitaberis unctione tui Spiritus, & interiori vi gratiæ tuæ, operabitur illa in corde meo obedientiam quam petis?* De dono Perser. c. 20.

Idem: " Quando INTUS AUDITUR ET DOCET, ut veniatur ad Filium, AUFERT COR LAPIDEUM, ET DAT COR CARNEUM. INTUS DOCERE, est *mandatum suum & suam externam locutionem comitari unctione suæ Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ:* AUFERRE autem COR LAPIDEUM ET DARE COR CARNEUM, est, *operari in corde obedientiam quam petit:* Ergo aliis verbis propositionem eandem docet Augustinus. De Præd. SS. c. 8.

Gregorius: " O qualis est artifex iste Spiritus! nullâ ad discendum morâ AGITUR ID OMNE QUOD VOLUERIT. MOX, UT TETIGERIT In Evang. lib. 2. Homil. 30.

„ MEN-

„ MENTEM, DOCET: ſolumque tetigiſ-
„ ſe, docuiſſe eſt : nam humanum ani-
„ mum SUBITÒ, UT ILLUSTRAT,
„ IMMUTAT.

Teſtimonium hoc, non minus quàm Auguſtini, apertum eſt pro vindicanda propoſitione, quam Magiſtri Veſtri ut ream damnârunt.

VII.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti. Prop. 16.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

1 Joan. 4. Propoſitionem aſſerit Joannes in Epiſtola ſuâ prima his verbis : *Vos ex Deo eſtis, filioli, & viciſtis : quoniam major eſt qui in vobis eſt, quàm qui in mundo.* Quid enim eſt, *Viciſtis*, niſi, illecebras mundi *viciſtis :* nullæ enim ſunt mundi illecebræ, quæ non cedunt illecebris gratiæ : *Quoniam major eſt, qui in vobis eſt, quàm qui in mundo*, ac Omnipotens cui nihil reſiſtit.

In eundem ſenſum dicit Auguſtinus:
De Sp. & Litt. cap. 29. „ Anima. . . . . quando concupiſcentiam
„ malam non vicerit. . . . per fidem con-
„ fugit ad miſericordiam Dei, ut det quod
„ jubet, atque INSPIRATA GRATIÆ
„ SUAVITATE, per Spiritum Sanctum,
„ FA-

„ FACIAT PLUS DELECTARE „ QUOD PRÆCIPIT, QUAM DELECTAT QUOD IMPEDIT.

Frustrà hoc animæ præciperet Augustinus, si essent aliquæ illecebræ, quæ non cederent illecebris gratiæ, aut aliquid resisteret Omnipotenti.

VIII.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Gratia est vox illa Patris, quæ hominem interiùs docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum. Quicumque ad eum non venit, postquàm audivit vocem exteriorem filii, NULLATENUS *est doctus à Patre.* Prop. 17.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Non satis fideliter in propositione ponitur vox, NULLATENUS: fideliùs ei substitues, vocem, *non:* & sic ipsius Christi ore asserta est propositio, apud Joan. cap. 6. *Omnis*, inquit, *qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Manifestè enim significat, *Quòd gratia sit vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum.* Si autem *omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad Jesum Christum*; sequitur, quòd quicumque ad eum non venit, postquàm audivit vocem exteriorem filii, non sit doctus à Patre.

Ex

Ex ista Christi doctrinâ eandem propositionem asseruit non uno loco Augustinus.

De gr. Chr. c. 13. „ Qui novit quidem, inquit, quid fieri
„ debeat, & non facit, NONDUM A
„ DEO DIDICIT SECUNDUM GRA-
„ TIAM, sed secundùm legem... De
„ isto docendi modo etiam Dominus ait:
„ *Omnis, qui audivit à Patre meo, & di-*
„ *dicit, venit ad me:* Qui ergo non ve-
„ nerit, non de illo rectè dicitur, audivit
„ quidem, & didicit sibi esse veniendum,
„ sed facere non vult quod didicit....
„ Si enim, sicut Veritas loquitur, *omnis*
„ *qui didicit, venit*; QUISQUIS NON
„ VENIT, PROFECTO NON DIDI-
„ CIT.

De Præd. SS. c. 8. Idem: " Quid est, inquit, *Omnis qui*
„ *audivit à Patre. & didicit, venit ad me,*
„ nisi, nullus est qui audiat à Patre, &
„ discat, & non veniat ad me? Si enim
„ *omnis qui audivit à Patre, & didicit,*
„ *venit*; PROFECTÒ OMNIS QUI
„ NON VENIT, NON AUDIVIT A
„ PATRE, NEC DIDICIT. Si audis-
„ set & didicisset, veniret: neque enim
„ ullus audivit, & didicit, & non venit:
„ Sed *omnis*, ait Veritas, *qui audivit à*
„ *Patre, & didicit, venit.*

Potuerunt-ne Magistri Vestri hanc Christi & Augustini doctrinam ignorare? Si ignorare non potuerint, quomodo potuerunt condemnare?

IX.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum. Prop. 18.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Non aliud significat hæc propositio, quàm quod Deus ipse significat apud Isaïam his verbis : *Quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc ultrà non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo:* NON REVERTETUR AD ME VACUUM, SED FACIET QUÆCUMQUE VOLUI, ET PROSPERABITUR IN HIS, AD QUÆ MISI ILLUD. Is. c. 55.

Quæ verba illustrans Laurentius Justinianus : " Nequaquam, inquit, tam uberem „ humana mortalitas valeret justitiæ afferre „ messem, si non verbi Dei stillicidiis im- „ pinguaretur interiùs. Nam quemadmo- „ dum nix descendens de Cælo terram ine- „ briat, ac germinare eam facit, datque „ semen serenti, & panem ad manducan- „ dum tribuit; ITA ET VERBUM, „ QUOD EX ORE PATRIS OMNIPO- „ TENTIS EGREDITUR, cùm se mor- „ talium infundit cordibus, ad illum, qui „ eum genuit, non revertitur vacuum, sed De Vita Solitar. c. 17.

„ in se suscipiente FRUCTIFICAT AF-
„ FATIM.

Quid est VERBUM QUOD EX ORE PATRIS OMNIPOTENTIS EGREDITUR, ET FRUCTIFICAT AFFATIM; nisi *semen verbi*, *quod manus Dei irrigat*, & *semper affert fructum suum*? Si hoc condemnent Magistri Vestri; debent & Isaïam, & Isaiæ Interpretem Justinianum condemnare.

X.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpotè quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis Filium suum. Prop. 21.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Jam antè satis ad propositiones superiores asserta est hujus propositionis pars prior, ostensumque, quòd non liberum arbitrium gratiæ, sed gratia libero arbitrio dominetur; adeoque sit *fortis*, *potens*, *suprema*, *invincibilis*, *utpotè quæ sit operatio voluntatis omnipotentis*. Superest tantùm ut asseratur pars posterior, Quòd *sequela sit & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis Filium suum.*

Ac primum, *quòd sequela sit & imitatio operationis Dei incarnantis Filium suum*, apud Patres celebratum est.

Au-

Augustinus: " NULLUM EST, inquit, ILLUSTRIUS PRÆDESTINATIONIS EXEMPLUM, QUAM IPSE MEDIATOR. Quisquis fidelis vult eam benè intelligere, attendat ipsum, atque in illo inveniat & se ipsum. . . . . Qui ergo hunc fecit ex semine David hominem justum, qui numquam esset injustus, sine ullo merito præcedentis voluntatis ejus; ipse ex injustis facit justos, sine ullo merito præcedentis voluntatis ipsorum, ut ille caput, hi membra sint ejus. . . . Et illum ergo, & nos prædestinavit; quia & in illo ut esset caput nostrum, & in nobis ut ejus corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præscivit. De Dono Persev. c. 24.

Et iterum: " Est, inquit, PRÆCLARISSIMUM LUMEN PRÆDESTINATIONIS ET GRATIÆ, IPSE SALVATOR, ipse Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus: Qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit? . . . . EA GRATIA fit ab initio fidei suæ homo quicumque christianus, QUA GRATIA homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso spiritu & hic renatus, de quo est ille natus; eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum. De Præd. SS. c. 15.

" QUA ERGO GRATIA homo ille ab initio factus est bonus, EADEM GRATIA homines qui sunt membra ejus, ex malis fiunt boni. Lib. 1. Op. Imperf. cont. Julian. c. 138.

Enchir. cap. 36. Ac tandem: " Hic omninò granditer & „ evidenter Dei gratia commendatur. „ Quid enim natura humana in homine „ Chriſto meruit, ut in unitatem perſonæ „ unici Filii Dei ſingulariter eſſet aſſump- „ ta? Quæ bona voluntas, cujus boni pro- „ poſiti ſtudium, quæ bona opera præceſ- „ ſerunt, quibus mereretur iſte homo, una „ fieri perſona cum Deo? . . . . . Undè „ naturæ humanæ tanta gloria, nullis præ- „ cedentibus meritis ſine dubitatione gra- „ tuita, niſi quia magna hic & ſola Dei „ gratia fideliter & ſobriè conſiderantibus „ evidenter oſtenditur, UT INTELLI- „ GANT HOMINES, PER EANDEM „ GRATIAM ſe juſtificari à peccatis, PER „ QUAM factum eſt, ut homo Chriſtus „ nullum poſſet habere peccatum.

De Incarn. & Grat. c. 20. Magiſtrum ſuum Auguſtinum ſecutus Fulgentius: " FORMA, inquit, PRÆ- „ CESSIT IN CARNE CHRISTI, „ QUAM IN NOSTRA FIDE SPIRI- „ TUALITER AGNOSCIMUS. Nam „ Chriſtus filius Dei ſecundùm carnem de „ Spiritu Sancto conceptus & natus eſt. „ Carnem autem illam nec concipere virgo „ poſſet aliquando, nec parere, niſi ejuſdem „ carnis Spiritus Sanctus operaretur exor- „ tum. SIC ERGO in hominis corde „ nec concipi fides poterit, nec augeri, niſi „ eam Spiritus Sanctus effundat & nutriat. „ Ex eodem namque ſpiritu renati ſumus, „ ex quo natus eſt Chriſtus. EODEM „ IGITUR SPIRITU CHRISTUS „ FORMATUR SECUNDUM FIDEM „ IN CORDE UNIUSCUJUSQUE „ CREDENTIS, QUO SPIRITU SE-

„ CUN-

„ CUNDUM CARNEM FORMATUS
„ EST IN UTERO VIRGINIS.

Hæc fusiùs describere visum est, ut intelligatis, quàm illustrem ac celebrem apud Patres doctrinam Magistri Vestri proscripserunt.

Sed magis mirabimini, proscriptum etiam ab illis, quod nemo ignorat ab Apostolo scriptum capite primo & secundo Epistolæ ad Ephesios.

Non cesso, inquit cap. 1. *gratias agens pro vobis . . ut Deus. . . det vobis spiritum sapientiæ. . . ut sciatis. . . . quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus* SECUNDUM OPERATIONEM POTENTIÆ VIRTUTIS EJUS, QUAM OPERATUS EST IN CHRISTO SUSCITANS EUM A MORTUIS.

En ipsam propositionem ab Apostolo assertam; à Magistris autem Vestris condemnatam.

Eandem firmat Apostolus cap. 2. ibidem: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos,* ET CUM ESSEMUS MORTUI PECCATIS, CONVIVIFICAVIT NOS IN CHRISTO (cujus gratiâ estis salvati) ET CONRESUSCITAVIT.

Operatio ergo voluntatis Dei peccatorem convertentis, *imitatio est operationis Dei*, juxta Apostolum, *resuscitantis Filium suum.*

XI.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Deus ipse nobis ideam tradit Omnipotentis ope-

operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, quâ creaturas ex nihilo producit, & mortuis reddit vitam. Prop. 23.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

1. Toties, ac tam apertè Deus in Scripturis operationem gratiæ ſuæ ſignificat per operationem, *quâ creaturas ex nihilo producit*; ut planè capere non poſſimus, quâ id ratione Magiſtri Veſtri damnarint. Loca Scripturarum accipite.

Pſal. 50. *Cor mundum* CREA *in me, Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.*

Epheſ. 2. *Ipſius enim factura ſumus,* CREATI *in Chriſto Jeſu in operibus bonis.*

Ibid. c. 4. *Induite novum hominem, qui ſecundùm Deum* CREATUS EST.

2 Cor. 5. *Si qua ergo in Chriſto* NOVA CREATURA; *vetera tranſierunt.*

Gal. 6. *In Chriſto enim Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed* NOVA CREATURA.

2 Cor. 4. *Deus,* QUI DIXIT DE TENEBRIS LUCEM SPLENDESCERE, *ipſe illuxit in cordibus noſtris.*

Jacob. 1. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod* CREATURÆ EJUS.

Si hiſce locis negent Magiſtri Veſtri, operationem gratiæ ſignificari per operationem, *quâ Deus creaturas producit ex nihilo:* confidenter dicimus, non eos ſolùm à vero ſenſu Scripturarum, ſed & à communi ſenſu quàm longiſſimè aberrare.

2. Se-

2. Sequitur ut ostendamus, quòd Deus operationem gratiæ suæ etiam significet per operationem, *quâ mortuis reddit vitam.*

Significat hoc Christus, ubi ait: *Amen, Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in Judicium non venit; sed* TRANSIIT A MORTE AD VITAM. AMEN AMEN DICO VOBIS, *quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent.* Joan. 5. Ubi Salvator operationem Dei convertentis infidelem ad fidem, comparat operationi omnipotenti, quæ resuscitabit mortuos.

Undè in hunc locum Augustinus: " Ne „ fortè, inquit, quia dixit, *Transiit à morte* „ *ad vitam*, intelligamus hoc in futurâ Re„ surrectione, ostendere volens quomodo „ transit qui credit; ET HOC ESSE „ TRANSIRE DE MORTE AD VI„ TAM, TRANSIRE AB INFIDELI„ TATE AD FIDEM, AB INJUSTI„ TIA AD JUSTITIAM, A SUPER„ BIA AD HUMILITATEM, AB O„ DIO AD CARITATEM: nunc ait, „ *Amen, amen dico vobis, quia venit hora,* „ *& nunc est.* Tract. 22. in Joan.

Chrysostomus operationem Dei per gratiam non comparat solùm operationi quâ mortuis reddit vitam; sed etiam præfert: „ MORTUUM ENIM EXCITARE, in„ quit, TANTUM MIRACULI NON „ HABET, QUANTUM QUOD ANIMÆ „ ILLI CREDUNT. In Epist. ad Ephes. cap. 2. Homil. 3. initio.

Veritatem tandem propositionis confir-

 mat-

mat Proſper in Carmine de Ingratis cap. 15. hiſce verſibus :

„ . . . . *Deus ergo ſepultos*
„ SUSCITAT, *& ſolvit peccati compede vinctos.*
„ *Ille obſcuratis dat cordibus intellectum.*
„ *Ille ex injuſtis juſtos facit, indit amorem,*
„ *Quo redametur amans, & amor, quem conſerit, ipſe eſt.*
„ *Hunc itaque affectum, quo* SUMUNT MORTUA VITAM.
„ . . . .
„ *Nemo alii, nemo ſibi* &c.

Ecce ut Propoſitionem poſt Scripturas, canunt Patres proſâ & verſu. Qui tamen nec ſic eam potuêre cenſuræ Magiſtrorum Veſtrorum ſubducere.

XII.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Juſta idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei & Jeſu Chriſti in ſanandis corporibus ſolo nutu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate. Prop. 24.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

Magnoperè veremur, nè, ſi vulgo inno-

notescat hanc propositionem à Magistris Vestris condemnatam esse, fidelium adversùs ipsos seditio oriatur, tanquam qui publicam Ecclesiæ professionem condemnarint. Siquidem propositionem istam Ecclesia universa palam profitetur in administratione Sacramenti Eucharistiæ, dum ad exemplum Centurionis Luc. 7. dicentis: *Domine . . . . tantùm dic verbo & sanabitur* PUER MEUS, fideles omnes, tum Ministri tum Laïci, dicunt: *Domine tantum dic verbo, & sanabitur* ANIMA MEA. Sic enim apertè profitentur, Quòd *justa idea, quàm centurio habet de omnipotentia Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus solo nutu suæ voluntatis, sit imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.*

Ecclesiam proindè universam, ejusque professionem publicam, condemnant Magistri Vestri; ipsi, si dicere liceat, ab Ecclesia condemnandi.

XIII.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. Prop. 30.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

FULGENTII est ista propositio, quam legere licebit Magistris Vestris apud ipsum Lib. de Incarn. & Grat. cap. 31. his verbis:

bis: OMNES, QUOS DEUS VULT SALVOS FIERI, SINE DUBITATIONE SALVANTUR. Et iterum his: NON EST QUISQUAM, QUEM DEUS SALVARE VELIT, ET NON SALVETUR.

Eſt & PROSPERI in Carmine de Ingratis c. 13. qui illam exprimit duobus hiſce Verſibus:

> *Nam ſi nemo uſquam eſt*, QUEM NON VELIT ESSE REDEMPTUM,
> HAUD DUBIE *impletur quidquid vult ſumma Poteſtas.*

Si horum Patrum propoſitionem eſſe ignoraverint Magiſtri Veſtri, quam damnarunt; veniâ digni erunt, ſi jam ſaltem moniti cenſuram ſuam recantent: ſi nec moniti reſipiſcant, quis non malit ab illis condemnari, quàm abſolvi?

XIV.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, id eſt, Electos de manu Angeli Exterminatoris. Prop. 32.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

Propoſitio iſta ipſius fidei catholicæ dogma eſt. Si quidem manifeſtè hæretica

ca est hæc ipsius contradictoria : *Jesus Christus* NON *se morti tradidit ad liberandum* PRO SEMPER *suo sanguine Primogenitos, id est, Electos de manu Angeli Exterminatoris.*

Erubescere vos credimus Magistrorum Vestrorum vicem, qui ipsam etiam fidem Catholicam condemnent.

At, inquit è vobis aliquis, noluêre Magistri nostri condemnare propositionem ipsam, quæ Catholica est; sed mentem Auctoris, quam propositio tacitè insinuat: Nimirum, *Jesum Christum se morti tradidisse ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos id est, Electos de manu Angeli Exterminatoris; sed non ad liberandum Reprobos, adeoque mortuum non esse pro omnibus.*

R. Per calumniam ea mens affingitur Auctori, qui Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse profitetur ad v.6. c.6. ad Rom. Item ad v.15. c.14. ibidem. Ac rursus ad v.11. c.8. Epist. 1 ad Cor. & alibi sæpius.

Sed neque id insinuat propositio, quæ non insinuat aliud, quàm quod insinuat Christus apud Matthæum cap.26. ubi dicit sanguinem suum effundendum PRO MULTIS: *Hic est enim*, inquit, *sanguis meus Novi Testamenti*, *qui* PRO MULTIS *effundetur in remissionem peccatorum.* Et apud Marcum cap.10. *Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & daret animam suam* PRO MULTIS. Non aliud, quàm quod Apostolus Heb.9. *Christus semel oblatus est ad* MULTORUM *exhaurienda peccata :* Non aliud, quàm

 quod

quod Ecclesia in Consecratione Calicis: *Qui pro vobis & PRO MULTIS effundetur:* Non aliud quàm quod Ecclesia Smyrnensis in Epistolâ sua de Martyrio Sancti Polycarpi ait. " Qui (Christus) pro salute ,, omnium, *quotquot ex genere humano ,, salvi futuri sunt*, mortem pertulit. Non aliud, quàm quod Gregorius *pro* ELECTORUM *vita usque ad mortem se tradidit Auctor vitæ &c.*

Hom. 2. in Ezech.

Ap. Euf. L. 4. c. 15. Pag. 134. Edit. Val. gr. lat.

Ex quibus si quis inferret: Ergo Christus non fudit sanguinem, nec dedit animam suam, nec usque ad mortem se tradidit PRO OMNIBUS: inferret profectò pessimè. Nam & verum est, quòd Christus sanguinem fuderit, animam dederit, usque ad mortem se tradiderit PRO MULTIS, voluntate absolutâ, efficaci & consequente: & simul verum est, quòd sanguinem fuderit, animam dederit, & ad mortem se tradiderit PRO OMNIBUS OMNINÒ, voluntate non absolutâ, non efficaci, & antecedente.

Necesse est igitur, ut fateantur Magistri Vestri, vel se propositionem fidei catholicæ condemnasse, vel ex propositione fidei catholicæ pessimè argutatos fuisse.

§. III.

De Fide, ex qua Oratio cum Humilitate, Spe, Fiducia, Amore. Item de Religione.

De Causa duorum hominum, *in qua fides propriè christiana*, juxta S. Augustinum, *consistit*, actum est duobus §. §. prace-

cedentibus: nunc de ipsa Fide, & iis quæ ex Fide consequuntur, agendum.

Fides, inquit Tridentina Synodus, *est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis.* Sess. vi. c. 8. Quod de fide, quæ circa causam duorum illorum hominum versatur, imprimis intelligendum est. Nam peccatores, ut docet eadem Synodus, „ disponuntur ad ipsam justitiam, dum „ excitati divinâ gratiâ & adjuti, FIDEM Ib. c. 6. „ ex auditu concipientes, liberè moventur „ in Deum, credentes vera esse, quæ di- „ vinitùs revelata & promissa sunt; AT- „ QUE ILLUD IMPRIMIS, A DEO „ JUSTIFICARI IMPIUM PER GRA- „ TIAM EJUS, PER REDEMPTIO- „ NEM QUÆ EST IN CHRISTO JE- „ SU, & dum peccatores se esse intelligen- „ tes, A DIVINÆ JUSTITIÆ TIMO- „ RE, quo utiliter concutiuntur, ad con- „ siderandam Dei misericordiam se con- „ convertendo, IN SPEM ERIGUN- „ TUR, fidentes Deum sibi propter Chri- „ stum propitium fore; ILLUMQUE „ TANQUAM OMNIS JUSTITIÆ „ FONTEM DILIGERE INCIPIUNT „ &c.

Ubi *initium*, *fundamentum*, *& radix* Justificationis ponitur FIDES, quâ peccator credit, non posse se justificari à seipso, sed A DEO; non per merita sua; sed per misericordiam & *gratiam ejus*, & *per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Indè, *peccatorem se esse intelligens*, *& sciens pœnas æternas paratas esse peccatoribus*, *nisi Deum diligant*, *peccata detestentur*, *& mandata Dei observent*, *divinæ Justitiæ*

 timo-

timore concuſſus, *ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertit*, & IN SPEM ERECTUS, Deum orat, fidens illum ſibi propter Chriſtum propitium fore, ſimul humiliter agnoſcens, fruſtrà Deum præcipere, ut ipſum diligat, peccata deteſtetur, & mandata ejus obſervet, niſi ipſe det quod præcipit. Sic conſtanter orando gratiam impetrat, quâ *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipit*, peccata deteſtatur, inchoat novam vitam, & Dei mandata obſervat.

Hæc ex Concilio Tridentino frequenter nobis commendabant Magiſtri noſtri, inculcantes præcipuè fidem in Chriſtum Salvatorem, & ex fide orationem humilem, & cum ſpe, fiduciâ & amore aſſiduam per Chriſtum, quâ dicebant impetrari cetera. Hæc, cùm videantur nobis condemnari à Magiſtris Veſtris, tamquàm depoſitum nobis traditum adverſus illorum cenſuram aſſeremus.

I.

Propoſitiones per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnatæ.

Fides eſt prima Gratia, & fons omnium aliarum. Prop. 27.

Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem. Prop. 26.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſertæ.

De Præd. SS. c. 7. Prior propoſitio ipſius Auguſtini eſt, *his* ver-

verbis: IPSA (fides) PRIMA DATUR, EX QUA IMPETRENTUR CÆTERA.

Idem: " QUAM GRATIAM PRIMÒ ACCEPIMUS? FIDEM. . . hanc ergo accepit gratiam PRIMAM peccator, ut ejus peccata dimitterentur. Tract. 3. in Joan.

Et hoc Magistros Vestros monuisse satis sit, ut suæ ipsos censuræ pudeat.

Ad utramque verò propositionem asserendam sufficere deberet Apostolus docens, *Justificari hominem* PER FIDEM. *Justificari enim & initium, & progressum, & perfectionem* justificationis complectitur: Si autem & initium, & progressus, & perfectio justificationis sit PER FIDEM: Ergo & *prima gratia est fides, & fons omnium aliarum, & nullæ dantur gratiæ nisi per fidem.* Rom. 3.

Explicatiùs hoc ex Apostolo docet Concilium Tridentinum. " Cùm verò Apostolus dicit, *justificari hominem per fidem*. . . ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit, ut scilicet *per fidem* ideò justificari dicamur, quia FIDES EST HUMANÆ SALUTIS INITIUM, FUNDAMENTUM, ET RADIX OMNIS JUSTIFICATIONIS. Sess. 6. c. 8.

Si fides sit *humanæ salutis initium*; fides *est prima gratia:* initio enim nihil est prius. Et si fides sit *radix omnis justificationis*, fides etiam est *fons omnium aliarum gratiarum, & nullæ dantur gratiæ nisi per fidem:* si enim alicujus gratiæ fons non esset, vel aliqua gratia daretur non per ipsam, jam non esset *radix* OMNIS *justificationis:* OMNIS enim *justificatio* OMNEM *gratiam* significat:

cat: esse autem radicem *omnis justificationis*, definit Tridentinum: Ergo.

Perpetuum hunc *Ecclesiæ Catholicæ consensum* hausit Tridentina Synodus ex SS. Patribus.

De grat. & lib. arb. cap. 14. „ FIDES, inquit AUGUSTINUS, „ ET NON PETITA CONCEDITUR, „ UT EI PETENTI ALIA CONCEDANTUR.

Quoniam quod lex jubet, facere non valemus, NISI PER FIDEM ROGANDO IMPETREMUS.

Epist. 194. aliàs. 105. ad Sixtum. Idem: " Restat ut ipsam fidem, unde „ OMNIS JUSTITIA SUMIT INITIUM. . . . non humano tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, „ quoniam INDE INCIPIUNT QUÆCUMQUE SUNT MERITA. . . „ Opera quippè bona fiunt ab homine; fides autem fit in homine, SINE QUA „ illa à nullo fiunt homine.

Ibidem. Idem: " Fides orat, quæ DATA EST „ NON ORANTI, quæ utique NISI „ DATA ESSET, ORARE NON POSSET.

Ibidem. „ Sed neque quisquam liberatur & justificatur, nisi gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solùm „ remissione peccatorum, sed PRIUS IPSIUS INSPIRATIONE FIDEI.

In Ps. 134. Idem rursus: " Primitias, inquit, habemus ipsam FIDEM, UNDE INCIPIMUS. . . Et nemo INCIPIT benè „ vivere, NISI A FIDE. Fides ergo „ nostra in Primogenitis est. Quando custoditur fides nostra, cætera subsequi „ possunt. Nam quòd purgantur homines

„ nes quotidiè proficiendo in melius, me-
„ liusque vivendo. . . . ideò fit, quia pri-
„ mogenita fides vivit.

„ Cùm (fides) ipsa INITIUM sit, in- De Gest. Pelag. cap. 14.
„ quit alibi, UNDE BONA OPERA IN-
„ CIPIUNT. . . . . bene operandi gra-
„ tiam FIDES IMPETRAT. Ipsam cer-
„ tè fidem ut haberemus, nullâ fide me-
„ ruimus. . . . . Quid enim habes quod
„ non accepisti? Quando & hoc accepi-
„ mus, UNDE INCIPIT QUIDQUID
„ IN NOSTRIS ACTIBUS HABEMUS
„ BONI.

FULGENTIUS: " BONÆ VOLUN- De verit. Prædest. cap. 17.
„ TATIS INITIUM IN FIDE CONSI-
„ STERE, liber Cantici Canticorum osten-
„ dit, ubi Christus dicit Ecclesiæ, *Venies*
„ *& pertransies ab initio fidei.*

Auctor de vocatione Gentium: " A- Lib. 1. c. 24.
„ bundè, inquit. . . . demonstratum est,
„ fidem quâ justificatur impius, nisi ex
„ Dei munere non haberi, eamque nullis
„ meritis praecedentibus tribui, sed ad hoc
„ donari, UT PRINCIPIUM POSSIT
„ ESSE MERITORUM, & cùm ipsa da-
„ ta fuerit petita, IPSIUS JAM PETI-
„ TIONIBUS BONA CÆTERA CON-
„ SEQUANTUR.

GREGORIUS: " Potest, inquit, per In Ezech. lib. 2. Homil. 7. aliàs 19.
„ vestibulum fides intelligi. . . . quia
„ PRIUS AD FIDEM VENIMUS, ut
„ postmodum per spiritalium donorum gra-
„ dus, cœlestis vitæ aditum intremus. Non
„ enim virtutibus venitur ad fidem; sed
„ per fidem pertingitur ad virtutes.

BERNARDUS: " Fidem *florem*, *fruc-* In Cant. Serm. 51.
„ *tum* actum intellige. Nec incongruè;

„ ut

„ ut opinor, id tibi videbitur, ſi advertas,
„ quomodo inſtar floris neceſſariò præce-
„ dentis fructum, BONUM QUOQUE
„ OPUS FIDE OPORTEAT PRÆVE-
„ NIRI.

Videte, quot Patres Magiſtrorum Veſtrorum cenſuram condemnant.

II.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tamquam in ſuo germine & ſemine; ſed hæc fides non eſt abſque amore & fiducia. Prop. 52.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

Si hanc propoſitionem jure damnarunt Magiſtri Veſtri; potiori jure damnare poterunt Scripturam, Concilium Tridentinum, & Patres omnes, ad propoſitionem præcedentem allegatos. Etenim ſi cenſura digna ſit propoſitio, quæ aſſerit, *Omnia alia ſalutis media contineri in fide, tanquam in ſuo germine & ſemine; ſed* HANC FIDEM NON ESSE ABSQUE AMORE ET FIDUCIA, quantò magis eâ digna eſt Scriptura, Concilium Tridentinum, & Patres, qui nullâ factâ mentione de AMORE ET FIDUCIA, dicunt, *Hominem juſtificari* PER FIDEM; FIDEM *eſſe humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radicem omnis Juſtificationis*; EX FIDE *impetrari* ca-

cætera; FIDEM *non petitam concedi, ut ei petenti alia concedantur*?

Væ etiam hisce Scripturis: SI CONFITEARIS IN ORE TUO *Dominum Jesum, & in* CORDE TUO CREDIDERIS, *quòd Deus illum suscitavit à mortuis*, SALVUS ERIS. *Exaltari oportet filium hominis*, UT OMNIS QUI CREDIT IN IPSUM *non pereat, sed* HABEAT VITAM ÆTERNAM. Rom. 10. Joan. 3.

Væ, inquam, hisce Scripturis, aliisque hujusmodi à Magistris Vestris. Si enim non pepercerint propositioni, quæ dicit, *Omnia alia salutis media contineri in fide, sed hanc non esse absque amore & fiduciâ*, quantò minus parcent Scripturis illis, quæ dicunt, omnem illum *salvum fore* & *habiturum vitam æternam*, qui crediderit?

Cautior quidem fuit Augustinus, qui *fidei* solet *dilectionem* adjungere: sed non prævidit fore aliquando Magistros, qui nec illi parcerent, quamvis *Fidei & dilectioni* adderet etiam *fiduciam*. OPUS ERGO UNUM EST, inquit, IN QUO SUNT OMNIA, FIDES QUÆ PER DILECTIONEM OPERATUR. Prudenter equidem suo ævo, dum licebat cùm Scriptura sentire & loqui: sed hodie Magistrorum Vestrorum censuram non evaderet. In Ps. 89.

III.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide & precibus. Prop. 68.

Per

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

Propoſitionem iſtam, tanquam Prædicationis ſuæ fundamentum, ex Propheta Joële ponit Apoſtolus Petrus in primo ſuo ad
Act. 2. Judæos ſermone ubi ait: *Et erit:* OMNIS QUICUMQUE INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, SALVUS ERIT. Si enim *omnis quicumque invocaverit nomen*
Rom. 10. *Domini ſalvus erit*; totum quod ad ſalutem conſequendam neceſſarium eſt, *clauſit Deus in invocatione nominis Domini*, hoc eſt, *in precibus*; quæ tamen abſque fide non ſunt. *Quomodò* enim *invocabunt*, *in quem non crediderunt*? Ideóque explicatiùs dixit propoſitio: IN FIDE ET PRECIBUS.

Eandem veritatem tradit Apoſtolus Paulus ad Romanos, ubi ex Lege & Prophetis oſtendit ſic viam ſalutis abbreviatam eſſe, ut non ſit opus aſcendere in cælum, aut deſcendere in abyſſum; ſed prope eſſe verbum fidei quod prædicabat, ac ſatis eſſe ad ſalutem, corde illud credere & ore confiteri, nomenque Domini invocare: *Quæ*, inquit, *ex fide juſtitia eſt, ſic dicit:*
Rom. 10. *Ne dixeris in corde tuo: Quis aſcendet in cælum? id eſt, Chriſtum deducere: aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum à mortuis revocare. Sed quid dicit ſcriptura?* PROPE EST VERBUM IN ORE TUO ET IN CORDE TUO, hoc eſt, verbum fidei quod prædicamus. Quia SI CONFITEARIS IN ORE TUO *Dominum Jeſum*, ET IN CORDE TUO CRE-

CREDIDERIS *quod Deus illum suscitavit à mortuis*, SALVUS ERIS. *Corde enim creditur ad justitiam, confessio fit ad salutem.* Dicit enim Scriptura. OMNIS QUI CREDIT IN ILLIM NON CONFUNDETUR.... OMNIS ENIM QUICUMQUE INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, SALVUS ERIT.

Hunc locum Apostoli illustrat Augustinus explicans hæc verba: *Verbum consummans & brevians faciet Dominus super terram:* " Id est, inquit, UT COMPENDIO FIDEI PER GRATIAM SALVOS FACIAT CREDENTES.... Lib. 1. qu. ad Simpl. n. 19. „ Hoc est verbum consummans & brevians, quod fecit Dominus super terram, quâ consummatione atque breviatione latro justificatus est, qui defixus in cruce omnibus membris, & habens libera hæc duo, CORDE CREDIDIT AD JUSTITIAM, ORE CONFESSUS EST AD SALUTEM, statimque audire meruit, *Hodiè mecum eris in paradiso.*

Non poterat disertiùs docere Augustinus, quòd *Dei bonitas abbreviaverit viam salutis, claudendo totum in fide & precibus.*

Et quis tandem Theologorum est, qui hoc non sentiat? *Fide* enim *& precibus* totum, quod ad salutem necessarium est, impetrari fatentur omnes. Omnes enim credunt Christo promittenti; *Amen, amen,* Joan. 16. *dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.... Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Si autem fateantur omnes, *fide & precibus impetrari totum* quod ad salutem necessarium

rium eſt ; fateri etiam omnes neceſſe eſt, quòd *Dei bonitas abbreviaverit viam ſalutis, claudendo totum in fide & precibus.*

An ergo Theologi non ſunt Magiſtri Veſtri, qui non ſolùm id non fatentur, ſed etiam condemnant?

IV.

Propoſitiones per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnatæ.

In vanum, Domine, præcipis, ſi tu ipſe non des quod præcipis. Prop. 3.

Ita, Domine, omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo. Prop. 4.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſertæ.

Duabus iſtis propoſitionibus benè exprimitur HUMILITAS ET FIDUCIA, cum quibus orandum eſt. HUMILITAS quidem, quâ agnoſcit orans, non tantùm ſibi neceſſariam eſſe gratiam, quâ Deus ipſi det POSSE AGERE quòd præcipit, ſed etiam quâ det ipſum agere. FIDUCIA autem, quâ confidit Deum per omnipotentem ſuam gratiam in ipſo operaturum omnia quæ præcipit.

Eâ humilitate ac fiduciâ orabat olim Propheta, & cum illo hodiedum orat & canit
Pſ. 126. quotidiè Eccleſia : *Niſi Dominus ædificaverit domum,* IN VANUM *laboraverunt qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit civi-*

civitatem, FRUSTRA *vigilat qui custodit eam.*

Quid enim hoc aliud est, quàm dicere: „ Præcipis, Domine, ædificari domum: „ sed IN VANUM eam ædificari præcipis, „ & IN VANUM laborant qui ædificant „ eam, nisi ipse ÆDIFICAVERIS DO-„ MUM, hoc est, dederis id quòd præci-„ pis. Præcipis etiam, Domine, custo-„ diri civitatem: sed FRUSTRA id præ-„ cipis, & FRUSTRA vigilat qui custo-„ dit eam, NISI IPSE CUSTODIERIS „ CIVITATEM, hoc est, dederis id quod „ præcipis.

Eadem humilitate ac fiduciâ orabat sapiens: *Ut scivi*, inquit, *quoniam aliter non possem esse continens*, NISI DEUS DET (en humilitatem). . . . *adii Dominum* (en fiduciam) *& deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis* &c. Sap. 8.

Quasi dicat: " Præcipis mihi, Domine, „ ut sim continens: sed *ut scivi*, *quoniam* „ *aliter non possem esse continens*, NISI „ DEUS DET; *adii Dominum, & de pre-*„ *catus sum illum, & dixi ex totis præ-*„ *cordiis meis:* Da mihi ut sim continens, „ hoc est, da mihi id quod præcipis: Quia „ in vanum mihi præcipis ut sim conti-„ nens, nisi ipse mihi des ut sim conti-„ nens.

Eâdem humilitate ac fiduciâ orabat toties Augustinus: *Da, Domine, quod jubes, & jube quod vis:* " Cùm enim, inquit, L. 2. de „ jubet Deus, *Convertimini*. . . . nosque pecc. mer. „ illi dicimus, *Converte nos*. . . . quid & remiss. „ aliud dicimus, quàm, DA QUOD JU-c. 5. „ BES? Cùm jubet dicendo, *Intelli-*

„ *gi-*

„ *gite.* . . . & nos illi dicimus, *Da mihi*
„ *intellectum.* . . . Quid aliud dicimus,
„ quàm, DA QUOD JUBES? Cùm ju-
„ bet dicendo, *Post concupiscentias tuas*
„ *non eas*, nosque dicimus, *Scimus quia*
„ *nemo potest esse continens nisi Deus det*,
„ quid aliud dicimus, quàm, DA QUOD
„ JUBES?

Hoc autem dicendo quid profitemur aliud, quàm humilitatem & fiduciam? *Humilitatem*, quâ agnoscimus necessariam nobis esse gratiam, quâ Deus nobis det quod jubet: si autem non det, in vanum jubere.

Eodem humilitatis & fiduciæ affectu orat
Dom. 3. post Pascha. Ecclesia: DA *cunctis, qui christianâ professione censentur, & illa respuere quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta*
Dom. 4. post Pascha. *sectari.* DA *populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis.* DA
Dom. Pent. *nobis in eodem spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.* OMNIPOTENS *sempiterne Deus*, DA *nobis fidei,*
Dom. 13. post Pent. *spei, & charitatis augmentum.* Quid enim aliud hisce Orationibus profitetur Ecclesia, quàm: " Præcipis nobis, Domine, *& illa*
„ *respuere quæ christiano inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari; id amare*
„ *quod præcipis, id desiderare quod promittis; recta sapere; fidem, spemque, &*
„ *charitatem augere:* Sed IN VANUM
„ DOMINE, PRÆCIPIS, SI IPSE
„ NON DES QUOD PRÆCIPIS. At
„ credimus, DOMINE, OMNIA POSSIBILIA ESSE EI, CUI OMNIA
„ POSSIBILIA FACIS, EADEM
„ OPERANDO IN ILLO; ideóque cum
„ humi-

„ humilitate & fiducia oramus: *Da.... illa*
„ *respuere, quæ christiano inimica sunt no-*
„ *mini, & quæ sunt apta sectari: Da id*
„ *amare quod præcipis, id desiderare quod*
„ *promittis: Da. . . . recta sapere: Da no-*
„ *bis fidei, spei, & charitatis augmen-*
„ *tum.*

Hunc Ecclesiæ orantis sensum, ex Scriptura & Traditione acceptum, Magistri Vestri condemnant.

V.

Propositiones per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnatæ.

Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit. Prop. 54.

Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si Spiritus charitatis non est ille, qui clamat. Prop. 50.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ assertæ.

In duabus, quæ præcesserunt, propositionibus condemnant Magistri Vestri *Humilitatem & Fiduciam*, cùm quibus orandum est: in his etiam amorem seu charitatem, ex quâ orandum est, proscribunt.

Solam certè charitatem esse, quæ Deo loquitur, & à Deo auditur, alioquin frustrà clamari, clamant Scripturæ, & ex Scripturis Augustinus.

Si linguis hominum loquar & Angelorum 1 Cor. 13.
ait Apostolus, CHARITATEM AUTEM

NON HABEAM, FACTUS SUM VELUT ÆS SONANS AUT CYMBALUM TINNIENS. At, qui loquitur, factus velut æs sonans aut cymbalum tinniens, frustra loquitur: Ergo qui loquitur SINE CHARITATE, FRUSTRA loquitur.

Rom. 8. *Non enim*, ait idem Apostolus, *accepistis Spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis* SPIRITUM ADOPTIONIS FILIORUM, IN QUO CLAMAMUS, ABBA, PATER. Quis iste *spiritus adoptionis filiorum*, nisi spiritus charitatis?

Gal. 4. *Quoniam autem estis filii, misit Deus* SPIRITUM FILII SUI *in corda Vestra*, CLAMANTEM, ABBA, PATER. Quis iterum Spiritus ille filii, nisi spiritus charitatis?

Rom. 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed* IPSE SPIRITUS *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Spiritus scilicet per quem *charitas diffusa est in cordibus nostris.*

Miramur Magistros Vestros reveritos non esse autoritatem tot Scripturarum, è quibus sumptæ sunt propositiones quas condemnant.

Nec minùs miramur, condemnari ab iis sententias Augustini, quibus propositiones istæ disertissimè exprimuntur.

Serm. nunc 71. c. 18. „ Nos clamamus, inquit S. Doctor; sed „ in illo, id est, ipso diffundente CARI„ TATEM in cordibus nostris, SINE „ QUA INANITER CLAMAT QUI„ CUMQUE CLAMAT. En hic ipsam „ propositionem, quam Magistri Vestri „ damnârunt.

Idem

Idem Augustinus: " Nemo dicit Dominus Jesus, animo, verbo. facto, corde, ore, opere, nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto; & nemo sic dicit, NISI QUI DILIGIT. Tract. 74. in Joan.

" AMORE petitur, AMORE quæritur, AMORE pulsatur. De Mor. Eccl. c. 17.

" TACEBIS, SI AMARE DESTITERIS. . . . . frigus caritatis, silentium cordis est: FLAGRANTIA CARITATIS, CLAMOR CORDIS EST. In Ps. 37.

" Multi sonant voce, & corde muti sunt. Multi tacent labiis, & clamant affectu: QUIA AD COR HOMINIS AURES DEI. Sicut aures corporales ad os hominis; SIC COR HOMINIS AD AURES DEI. Caritas ipsa gemit, ipsa orat. Enar. in Ps. 119. In Joan. Ep. Tract. 6.

Has Augustini sententias in propositionibus, quas hìc asseruimus, à Magistris Vestris condemnatas esse, manifestum est.

VI.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas. Prop. 58.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Propositio ista asseritur hâc scripturâ: *Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus charitas est.* 1 Joan. 4.

Solida enim & legitima est hæc ratiocinatio: " Ubi Deus non noscitur, ibi non
" est religio: Atqui, Joanne teste, ubi
" Deus non diligitur, seu, ubi non est
" charitas, ibi Deus non noscitur: Nam
" *qui non diligit, non novit Deum:* Ergò
" ubi Deus non diligitur, seu, ubi non est
" charitas, ibi non est religio.

Nec minus solidè ratiocinaberis in hunc modum: " *Deus charitas est*, teste Joan-
" ne: Ergo ubi charitas non est, ibi Deus
" non est: ubi autem Deus non est, ibi
" nec religio est.

Sic ratiocinatur Augustinus in Ps. 141.
" ubi est, inquit, ipse Deus? Interroga
" Joannem, *Deus charitas est.* Quisquis
" habet charitatem. . . . . conscientiam
" suam attendat, & ibi videt Deum. SI
" CARITAS IBI NON HABITAT,
" NON IBI HABITAT DEUS.

Porrò quòd non sit Religio seu cultus Dei, ubi non est charitas, innumeris propè locis Augustinus affirmat.

Epist. 197. ad Hier. c. 3. " Pietas, inquit, cultus Dei est, & UN-
" DE COLITUR DEUS, NISI CARI-
" TATE? Atqui ubi Deus non colitur, ibi non est religio: Ergo ubi non est charitas, ibi non est religio.

Epist. 140. aliàs 261. n. 45. " Non colitur Deus, NISI AMANDO:
" ET QUIS CULTUS EJUS, NISI A-
" MOR EJUS?

L. 12. de Trin. c. 14. " QUIS EST CULTUS DEI, NISI
" AMOR EJUS?

In Ps. 77. n. 21. " HOC AB HOMINE COLITUR,
" QUOD DILIGIT. Undè quia Deus
" omnibus hominibus major & melior in-
" ve-

„ venitur, plus omnibus DILIGENDUS
„ EST UT COLATUR.

„ Hic (amor) est Dei cultus, HÆC
„ VERA RELIGIO, hæc recta pietas;
„ hæc tantùm Deo debita servitus. L. 10. de Civ. Dei c. 3.

Pluribus locis citandis supersedemus, ut parcamus Magistris Vestris, qui non possunt non pudore suffundi, dum se vident tot Augustini sententias condemnasse.

Non tamen prætermittendus est hic locus egregius Sancti Clementis Alexandrini, qui idem docet: " Dei cultus θεραπεία est (animæ) perpetua cum Deo occupatio per „ caritatem, quæ nunquam intermittitur. Lib. 7. Strom. pag. 504.

§. IV.

De Lege Antiqua & Nova.

Post condemnatas propositiones *de infirmitate hominis & Gratiæ in hoc statu naturæ lapsæ necessitate, de Gratiæ omnipotentia, & de Oratione*, quæ doctrinæ de infirmitate hominis & Gratiæ omnipotentiâ innititur, salvum amplius esse non poterat discrimen inter Legem antiquam & novam.

Siquidem hoc discrimen in eo situm est, quòd Lex vetus ostendat tantùm & jubeat, quid faciendum sit: nova autem non tantùm hoc ostendat & jubeat, sed etiam det facere id quod ostendit & jubet esse faciendum.

Posteriorem hanc discriminis partem condemnant Magistri Vestri §. II. & III. in propositionibus *de omnipotentiâ Gratiæ*, &

& de Oratione: priorem autem non obscurè §. I. in Propositionibus *de infirmitate hominis & Gratiæ necessitate:* at apertissimè hoc § IV. in propositionibus *de Lege Antiquâ & Nova*, ubi sublato inter utramque discrimine, confusoque *statu sub lege* & *statu sub gratia*, communem utrique paremque gratiam attribuunt.

Propositiones istas, atque unà discrimen Legis Antiquæ & Novæ, quod condemnant, adversus ipsos ex Scripturis & Patribus asseremus.

I.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Discrimen inter fœdus judaicum & christianum est, quòd in illo exigit Deus fugam peccati & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum suâ gratia purificando. Prop. 6.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Discrimen istud utriusque Testamenti Tabulis per Prophetas & Apostolos sic firmatum est, & tanta SS. Patrum, præcipuè S. Augustini, authoritate munitum, ut prorsus capere non possimus, quo pacto ausi fuerint Magistri Vestri de eo condemnando cogitare.

Jerem. c. 12. *Feriam*, inquit Deus per Jeremiam; *Domui Israël & Domui Juda* FOEDUS NO-

NOVUM, NON SECUNDUM PACTUM *quod pepigi cum Patribus eorum. . . pactum* QUOD IRRITUM FECERUNT. . . . *Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus:* DABO LEGEM MEAM IN VISCERIBUS EORUM, ET IN CORDE EORUM SCRIBAM EAM.

Ubi discrimen inter fœdus antiquum & novum ipse Deus assignat hoc : Quòd in novo *det legem suam in visceribus hominum, & in corde eorum scribat eam*, hoc est, quòd Deus det illis legis suæ amorem & impletionem : in antiquo autem non det legem suam in visceribus eorum, & in corde eorum non scribat eam ; adeóque sinat eos *pactum irritum facere*, legemque ipsius violare, relinquendo eos in sua impotentiâ.

Et apud Ezechielem : DABO, inquit, VOBIS COR NOVUM, & SPIRITUM NOVUM PONAM IN MEDIO VESTRI, *& auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum novum ponam in medio vestri : &* FACIAM UT IN PRÆCEPTIS MEIS AMBULETIS. Ezech. 36. Ibid. c. 11. v. 19.

Ubi iterum discrimen est : Quòd in novo fœdere *det Deus hominibus cor novum*; non autem det cor novum in antiquo : Quòd in novo, *Spiritum novum ponat in medio illorum*; in antiquo autem, non ponat in medio illorum Spiritum novum : Quòd in novo *auferat cor lapideum & det cor carneum* ; in antiquo autem non auferat cor lapideum, nec det cor carneum : Quòd in novo *faciat ut in Præceptis ip-*

sius ambulent, in antiquo autem id non faciat.

Heb. 10. Ex Prophetis Paulus Apostolus: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super Domum Israël & super Domum Juda Testamentum novum, non secundùm Testamentum quod feci Patribus eorum. . . . quoniam ipsi* NON PERMANSERUNT IN TESTAMENTO MEO, ET EGO NEGLEXI EOS, dicit *Dominus: Quia hoc est Testamentum, quod disponam Domui Israël post dies illos dicit Dominus:* DABO LEGES MEAS IN MENTEM EORUM, ET IN CORDE EORUM SUPERSCRIBAM EAS. Ubi jam tertiò idem discrimen constituitur.

Act. 15. Apostolus Petrus: *Quid*, inquit, *tentatis Deum, imponere jugum super cervices Discipulorum*, QUOD NEQUE PATRES NOSTRI, NEQUE NOS PORTARE POTUIMUS? *Sed* PER GRATIAM DOMINI JESU CHRISTI *credimus salvari.* En iterum utriusque fœderis discrimen: In veteri jugum legis NEQUE PATRES NOSTRI, inquit Petrus, NEQUE NOS PORTARE POTUIMUS; quia relinquebantur in sua impotentia: In novo, PER GRATIAM DOMINI JESU CHRISTI SALVAMUR.

Rom. 8. *Lex enim Spiritûs vitæ* IN CHRISTO JESU LIBERAVIT ME, inquit Paulus, *à lege peccati & mortis. Nam quod* IMPOSSIBILE ERAT LEGI, *in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne*, UT JUSTIFICATIO LEGIS IMPLERETUR

TUR IN NOBIS. Ubi iterum utriusque fœderis discrimen expressum est: In novo, *Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit* nos *à lege peccati & mortis*, ut justificatio legis impleretur in nobis: In antiquo, *Impossibile erat legi, nos liberare à lege peccati & mortis, & Justificationem legis implere in nobis.*

Tandem Joannes Baptista apud Joannem cap. 1. brevissimè discrimen istud complexus est his verbis: *Lex per Moysen data est; Gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Lex* scilicet sine gratia quâ lex impleretur, *per Moysen data est*, relinquens hominem in sua impotentia: *Gratia autem*, quâ lex impleretur, *per J. C. facta est.*

Post Prophetas & Apostolos luculentissimè istud discrimen tradidit Augustinus, totumque de eo librum conscripsit, quem vocat *de Spiritu & Littera*, ubi cap. 18.
„ Quia LEX, inquit, *prævaricationis gratiâ posita est*, id est, littera ista extra hominem scripta, propterea eam & MINISTRATIONEM MORTIS ET MINISRATIONEM DAMNATIONIS APPELLAT: Hanc autem, id est, Novi Testamenti, MINISTRATIONEM SPIRITUS ET MINISTRATIONEM JUSTITIÆ dicit, quia per donum spiritûs operamur justitiam & à prævaricationis damnatione liberamur.

Et cap. 19. " Illa (Lex) sine adjuvante gratia procul dubio est LITTERA OCCIDENS: cûm verò adest vivificans spiritus, hoc ipsum intus conscriptum FACIT DILIGI, quod foris scriptum lex faciebat timeri.

Rursus cap. 20. " Ergo propter veteris
„ hominis noxam, QUÆ PER LITTE-
„ RAM JUBENTEM ET MINANTEM
„ MINIME SANABATUR, dicitur illud
„ Testamentum vetus: hoc autem No-
„ vum, propter novitatem Spiritûs, QUÆ
„ HOMINEM NOVUM SANAT A VI-
„ TIO VETUSTATIS.

Et cap. 25. " Illud. . . . diligenter at-
„ tende. . . . Cùm Testamentum No-
„ vum Propheta promitteret, non secun-
„ dùm Testamentum quod prius factum
„ est. . . . nihil eum de sacrificiorum vel
„ quorumque Sacramentorum commenta-
„ tione dixisse. . . . . sed tantummodo
„ istam commendasse distantiam, QUOD
„ LEGES SUAS DATURUS ESSET
„ DEUS IN MENTEM EORUM, qui
„ pertinerent ad hoc Testamentum. . . .
„ Cùm igitur hæc appareat distantia Vete-
„ ris & Novi Testamenti, QUOD LEX
„ IBI IN TABULIS, HIC IN CORDI-
„ BUS SCRIBITUR. . . . IBIQUE
„ FIAT PRÆVARICATOR PER OC-
„ CIDENTEM LITTERAM, HIC DI-
„ LECTOR PER VIVIFICANTEM SPI-
„ RITUM.

Exp. quar. prop. ad Rom. c. 13.

Ex aliis S. Augustini scriptis adjici pos-
sent innumera. " SUB LEGE, inquit,
„ pugnamus, sed vincimur; fatemur enim
„ mala esse quæ facimus, & fatendo mala
„ esse, utique nolumus facere, sed QUIA
„ NONDUM EST GRATIA, supera-
„ mur.

Serm. 155. c. 7.

„ Lex jubebat, & non implebat; quia
„ caro, UBI NON ERAT GRATIA,
„ invictissimè resistebat.

„ Quo-

„ Quomodo lex mihi opitularetur, JU-
„ BENS PER LITTERAM, ET NON
„ DANS GRATIAM? Ibidem.

„ Illa verò, quæ ad bonos mores perti-
„ nent, IMPLERE OMNINO NON PO-
„ TERANT (Judæi) non enim implet ea
„ nisi charitas. In cap. 5. ad Gal.

„ His omnibus tempus significare intel-
„ ligitur (Apostolus) quo sub lege vive-
„ bat, ET NONDUM ADJUTUS GRA-
„ TIA, concupiscentiis carnalibus vince-
„ batur. Lib. 6. cont. Jul. c. 23. n. 73. &c.

Plura quàm opus erat, elicuit justa adversus Magistos Vestros indignatio, qui discrimen Fœderis antiqui & novi, per Prophetas & Apostolos tantâ luce revelatum, veriti non fuerunt condemnare.

II.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati? Quæ verò felicitas non est, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis. Prop. 7.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Sequitur hæc propositio ex superiore; neque novâ Assertione indiget. Si enim Deus in veteri fœdere legem imponendo reliquerit hominem propriæ suæ infirmitati; legem quidem cognoscebat homo, sed imple-

plere non poterat: Et *quæ ista utilitas*? Si autem in Novo fœdere det Deus homini, non legem solùm cognoscere, sed & implere: *Quanta homini felicitas*, ad fœdus Novum admitti?

Rom. 4. Adjiciemus tamen pauca ex Apostolo: LEX IRAM OPERATUR.

Ibidem. *Ubi non est lex, nec prævaricatio.*

Rom. 5. *Lex autem subintravit*, UT ABUNDARET DELICTUM.

1 Cor. 15. VIRTUS VERÒ PECCATI LEX.

2 Cor. 3. LITTERA ENIM OCCIDIT, Spiritus autem vivificat.

Gal. 3. *Quid igitur lex*? PROPTER TRANSGRESSIONES POSITA EST.

Rom. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem*... *Occasione autem acceptâ, peccatum* PER MANDATUM OPERATUM EST IN ME OMNEM CONCUPISCENTIAM.

Post hæc, numquid licet interrogare:

Rom. 3. QUÆ UTILITAS PRO HOMINE IN VETERI FOEDERE? Non quòd nulla sit: *Per legem enim cognitio peccati*: sed quòd tanta sit hominis infirmitas ac malitia, ut ipsa etiam cognitione legis abutatur.

Rom. 7. *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: ut fiat supra modum peccans peccatum* PER MANDATUM. *Scimus enim, quia lex spiritualis est*: EGO AUTEM CARNALIS SUM, VENUMDATUS SUB PECCATO.

III.

III.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ; quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit. Prop. 8.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Iterum hæc propositio sequitur ex superioribus. Si enim, monente Augustino, cap. 25. de Spir. & Litt. diligenter attendamus, " cùm Testamentum novum Propheta promitteret, non secundùm Testamentum quod prius factum est . . . . „ TANTUM MODÒ illam commendasse „ distantiam, QUOD LEGES SUAS DATURUS ESSET DEUS IN MENTEM EORUM, QUI PERTINENT „ AD HOC TESTAMENTUM: Profectò sequitur, nos non pertinere ad Novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quâ *leges suas dat Deus in mentem nostram*, sive, quâ operatur in nobis id quod nobis præcepit. Undè Augustinus: " Concordat, inquit, Prophetico etiam Apostolicum testimonium, „ UT HOC SIT PERTINERE AD „ TESTAMENTUM NOVUM, LEGEM DEI HABERE, non in tabulis, „ sed IN CORDIBUS SCRIPTAM, hoc „ est, in intimo affectu justitiam legis amplecti, De Sp. & Litt. c. 26.

„ plecti, ubi fides per dilectionem opera-
„ tur.

En ipsam propositionem, quam condemnant Magistri Vestri, ab Augustino assertam.

IV.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore. Prop. 63.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Sequitur & hæc propositio ex superioribus. Si enim *hoc sit pertinere ad Testamentum novum*, LEGEM DEI HABERE IN CORDIBUS SCRIPTAM, *hoc est, in intimo affectu justitiam Legis amplecti, ubi fides* PER DILECTIONEM OPERATUR, ut ait proximè citatus Augustinus: consequens est, nondum ad novum Testamentum pertinere Baptizatum, si legem non adimpleat, vel adimpleat ex solo timore; adeóque, adhuc pertinere ad Testamentum vetus, & esse sub Lege.

Gal. 5. *Si spiritu ducimini*, inquit Apostolus, *non estis sub lege.* Ex quo colligit Augustinus, eum adhuc sub lege esse, qui spiritu charitatis non ducitur: " SUB LEGE

De nat. & gr. c. 57. „ est enim, inquit, qui timore supplicii
„ quod lex minatur, non amore justitiæ,
„ se sentit abstinere ab opere peccati. . . .

„ Er-

„ Ergo *si spiritu*, inquit, *ducimini*, *non* „ *adhuc estis sub lege*, utique lege quæ ti- „ morem incutit, non tribuit charitatem „ &c.

„ Hæc est, inquit idem, brevissima & „ apertissima differentia duorum Testamen- „ torum, TIMOR ET AMOR: Illud „ ad veterem, hoc ad novum hominem „ pertinet. Proinde Baptizatus, qui solum timorem habet, adhuc pertinet ad Testamentum vetus, & est sub Lege. Cont. Adim. c. 17.

V.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint nisi mancipia per timorem. Prop. 65.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Ratio manifesta est: Quia non fuerunt nisi Ministri *Litteræ* Legis, *quæ occidit*; & non *spiritûs*, qui *vivificat: Litteræ*, quæ incutere potest timorem; non *spiritûs*, qui solus in corde diffundit amorem &c. Et hæc ratio solidissimè fundata est in sacris Litteris.

LEX PER MOYSEN *data est*; GRATIA & *veritas* PER JESUM CHRISTUM *facta est*. " *Lex per Moysen data* „ *est*, inquit Augustinus: Non sibi aliquid „ amplius servus assignet, quàm quod per „ illum Joan. 1.

„ illum factum eſt. Si autem non niſi lex per illum data ſit, non potuit ullum Deo dare filium: Filius enim non fit niſi per Gratiam, quæ non niſi *per Jeſum Chriſtum facta eſt.*

Unde ibidem Auguſtinus: " Per SER-„ VUM lex data eſt, REOS FECIT: Per „ IMPERATOREM indulgentia data eſt, „ REOS LIBERAVIT.

2 Cor. 3. Miniſtratio Legis facta per Moyſen dicitur *Miniſtratio mortis*, item *Miniſtratio damnationis.* Atqui Miniſter *mortis & damnationis* nullum dat Deo filium: Ergo.

Littera enim occidit, ait ibidem Apoſtolus: Atqui Moyſes non dedit niſi *Litteram:* Ergo.

Gal. 3. *Si enim*, ait iterum Apoſtolus, *data eſſet lex quæ poſſet vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia.* Atqui ex lege non eſt juſtitia: Ergo non eſt data lex, quæ poſſet vivificare. Si autem non ſit data lex quæ poſſet vivificare, nec Moyſes potuit vivificare: quia per Moyſen data non eſt, niſi lex.

Gal. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Ergo adoptionem filiorum nullus recipit per Moyſen. Denique Apoſtolus ibidem disertè affirmat, hoc eſſe diſcrimen inter Teſtamentum vetus & novum, quòd illud generaret *ſervos*, hoc *filios. Abraham*, inquit, *duos Filios habuit; unum de ancilla, & unum de libera. . . quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo Teſtamenta. Unum quidem in monte Sina*, IN SERVITUTEM GENERANS, *quæ eſt Agar. . . . Illa autem quæ ſurſum eſt Jeru-*

rusalem, libera est: quæ est mater nostra. . . Nos. . . secundùm Isaac promissionis filii sumus. . . . Non sumus ancillæ filii, sed liberæ, QUA LIBERTATE CHRISTUS NOS LIBERAVIT. Ex Scripturis Concilium Tridentinum: " Omnes, inquit, homines usque adeò servi erant peccati, & sub potestate diaboli, ac mortis, ut non modò gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem PER IPSAM ETIAM LITTERAM LEGIS MOYSI indè liberari aut surgere possent. . . . Quo factum est ut cælestis Pater. . . . Filium suum. . . miserit, ut & Judæos qui sub lege erant, redimeret; & gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque OMNES ADOPTIONEM FILIORUM RECIPERENT. Sess. c. 1. & 2.

Dicetis: Ergo nemo adoptionem filiorum recepit in veteri Testamento? Imò verò receperunt plures: sed non per *Litteram Legis*, quam ministrârunt Moyses, aliique veteris Testamenti Ministri. Receperunt eam per Gratiam, quam illis Deus singulari misericordiâ, propter merita Christi venturi, largitus est; sed cujus Minister non fuit Moyses, aut alii Veteris Testamenti Ministri.

§. V.

De Duplici Amore, Dei ac Mundi, seu de charitate & cupiditate.

Eversis præcipuis Fidei ac Religionis Christianæ fundamentis, *de infirmitate hominis lapsi, de Omnipotente Jesu Christi Gra-*

Gratiâ, *de Oratione*, *de discrimine Legis novæ & veteris*; sequebatur, ut primum etiam ac præcipuum doctrinæ & vitæ Christianæ principium Magistri Vestri labefactarent: ne quid in fide aut moribus intactum integrumve relinquerent. Egregiè scilicet hoc præstiterunt condemnando doctrinam suæ olim scholæ *de Charitate & Cupiditate*, quam hic asserimus.

I.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Non sunt nisi duo amores, undè volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: Et amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quòd ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus. Prop. 44.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Nihil nobis mirabilius visum est, quàm à Magistris Vestris condemnari potuisse hanc propositionem, quæ & primum doctrinæ Moralis vitæque christianæ principium est, & irrefragabili Scripturarum ac Traditionis autoritate firmatum.

Duos istos amores, Dei ac Mundi, designavit Joannes Apostolus his verbis:
1 Joan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* SI QUIS DILIGIT MUNDUM, NON EST CHARITAS PATRIS

TRIS IN EO: Neque obscurè significat, volitiones & actiones ex alterutro proficisci: quod disertissimè Sancti Patres affirmant.

Augustinus: " Nemo, inquit, volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit, quod verbum AMORE CONCIPITUR, SIVE CREATURÆ, SIVE CREATORIS. . . . ERGO AUT CUPIDITATE AUT CHARITATE. Non quòd non sit amanda creatura, sed si ad creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit: TUNC ENIM EST CUPIDITAS, CUM PROPTER SE AMATUR CREATURA: tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem. L. 9. de Trin. c. 7.

Et alibi: " Voluntas, inquit, mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit. AUT ENIM JUSTITIAM DILIGIMUS; ET BONA EST: AUT SI OMNINÒ NON DILIGIMUS; NON BONA EST. Quis verò dubitet voluntatem nullo modo justitiam diligentem non modò malam esse, sed etiam PESSIMAM voluntatem? Lib. 2. de pecc. mer. cap. 18.

,, Aliud est, inquit iterum, CHARITAS RADIX BONORUM, aliud CUPIDITAS RADIX MALORUM; tantumque inter se differunt, quantum virtus & vitium. De Grat. Christ. c. 20.

Leo Magnus: " DUO SUNT, inquit, AMORES, EX QUIBUS OMNES PRODEUNT VOLUNTATES, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur Auctoribus. Naturalis enim animus, qui Serm. 5. de Jejun 7. mensis.

,, sine

„ fine dilectione effe non poteft, AUT
„ DEI AMATOR EST AUT MUNDI:
„ In dilectione Dei nulla nimia; in dilectio-
„ ne autem mundi, cuncta funt noxia.

Lib. 18. Moral. c. 9. Gregorius Magnus: " Effe, inquit, fi-
„ ne delectatione anima numquam poteft:
„ Nam AUT INFIMIS DELECTA-
„ TUR, AUT SUMMIS.

Lib. 1. ad Monim. c. 18. Fulgentius: " Voluntas, inquit, crea-
„ turæ fine qualicumque amore non po-
„ teft effe; nec fic diligere poteft, ut amo-
„ rem fuum non velit ad aliquid religare;
„ quæ inter fummum bonum, à quo crea-
„ ta eft, & infimum bonum, cui prælata
„ eft, medio quodam loco pofita, pro-
„ fectò AUT IN INFIMO BONO NECES-
„ SE EST MISERABILITER JACE-
„ AT, AUT IN SUMMO BONO vera-
„ citer feliciterque CONQUIESCAT.

His autoritatibus inconcuffum ftabit de duobus amoribus adverfus Magiftrorum Veftrorum cenfuram principium, æternoque eos pudore fuffundet.

Fortè dicetis, non tam condemnari ab ipfis iftud principium, quàm id quod principio in propofitione adjicitur: *Amor, qui quod ad Deum referendum eft non refert*, PROPTER HOC IPSUM FIT MALUS.

R. Non exiftimamus id dicturos Magiftros Veftros. Amor enim, qui quod ad Deum referendum eft non refert, hæret in creaturâ: Amor autem hærens in creatura, eft cupiditas: TUNC ENIM EST CUPIDITAS, inquit Auguftinus jam citatus, CUM PROPTER SE AMATUR CREATURA: atqui omnis cupiditas mala

la est: Ergo & amor, qui quod ad Deum referendum est non refert, malus est. Præterea, ut idem Augustinus antè etiam citatus, *Quis dubitet, voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modo* MALAM *esse, sed etiam* PESSIMAM *voluntatem?* Ac proindè, quis dubitet amorem nullo modo justitiæ, seu Deo, inhærentem, non modò MALUM esse, sed etiam PESSIMUM amorem? Voluntas enim mala non est, nisi propter malum amorem.

Itaque in Augustinum rursus impingerent Magistri Vestri, si hoc effugio elabi tentarent.

II.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt. Prop. 46.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Sequitur hæc propositio ex præcedente. Si enim omnis humana actio, vel ex amore Dei, vel ex amore mundi nascatur; ex alterutro etiam nascitur usus sensuum deliberatus, qui est humana actio: proindè bonus erit, si nascatur ex amore Dei, qui bonus est: malus verò, si nascatur ex amore mundi, qui est malus. Hoc etsi abundè probent loca SS. Patrum ad propositionem superiorem allegata; adjiciemus tamen sententias aliquas ex Augustino, qui-

quibus ipſa propoſitio à Magiſtris Veſtris condemnata diſertiùs exprimitur.

L. 4. cont. Jul. c. 3. n. 33. PER HUNC AMOREM CREATORIS, BENE *quisque utitur* ETIAM CREATURIS: SINE HOC AMORE CREATORIS, NULLUS QUISQUAM BENE UTITUR CREATURIS.

Epiſt. 155. ad Maced. NON FACIUNT BONOS VEL MALOS MORES, NISI BONI VEL MALI AMORES.

L. 2. ad Simpl. DONIS DEI NON BENE UTITUR, NISI CHARITAS.

Epiſt. 177. CARITAS SOLA NON PECCAT.

De Spir. & Litt. c. 14. NON FRUCTUS EST BONUS, QUI DE CARITATIS RADICE NON SURGIT.

Ultrò ex his fluit, uſum ſenſuum bonum fieri per caritatem, ſeu amorem Dei; malum autem, per cupiditatem, ſeu amorem mundi.

III.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri; ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei. Prop. 49.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

Quòd nullum peccatum ſit ſine amore noſtri, probat Auguſtinus ex præcepto, De Sp. & Litt. c. 4. *Non concupiſces:* " Quod, inquit, ſi quis ,, impleverit, nullum habebit omninò pec- ,, ca-

„ catum. Nam hoc ideò elegit Apoſto-
„ lus generale quiddam, QUO CUNCTA
„ COMPLEXUS EST, tanquam hæc eſ-
„ ſet vox legis ab omni peccato prohiben-
„ tis, quòd ait, *Non concupiſces:* NE-
„ QUE ENIM ULLUM PECCATUM
„ NISI CONCUPISCENDO COMMIT-
„ TITUR. Concupiſcere autem non eſt aliud, quàm velle ſibi bonum, ſeu, amare ſe, non propter Deum. *Cupiditatem* enim vocat Auguſtinus, *Motum animi ad fruendum ſe, & proximo, & quolibet corpore* NON PROPTER DEUM. Undè ibidem: *Non præcipit Scriptura niſi charitatem*, NEC CULPAT NISI CUPIDITATEM. Ex quo rurſus ſequitur, nullum peccatum eſſe ſine amore noſtri, ſeu cupiditate: ſi enim eſſet peccatum aliquod ſine amore noſtri ſeu cupiditate; ſequeretur illud à Scriptura non culpari, cùm hæc non culpet niſi cupiditatem: ſed abſurdum eſt dicere, quòd Scriptura peccatum aliquod non culpet: Ergo *nullum peccatum eſt ſine amore noſtri* ſeu cupiditate. Lib. 3. de Doct. Chr. c. 10.

Quare iterum Auguſtinus: " Non fit,
„ inquit, peccatum, niſi eâ voluntate,
„ QUA VOLUMUS UT BENE SIT
„ NOBIS, VEL NOLUMUS UT MALE
„ SIT NOBIS. De Civ. lib. 14. c. 4.

Quod verò *nullum ſit opus bonum ſine amore Dei*, jam antè ſatis ad ſuperiores hujus §. propoſitiones demonſtratum eſt. Unum ex Auguſtino adjicimus in Pſ. 67. SOLA BONA OPERA *dicenda ſunt, quæ fiunt* PER DILECTIONEM DEI.

Occlamabitis pro more Scholæ veſtræ: Dan-

Dantur *opera moraliter bona*, absque ullo Dei amore.

R. Per nos licet, dentur *opera sine Dei amore*, ut vocatis, *moraliter bona* de nomine non altercabimur. Hoc negamus, ea esse *Opera bona simpliciter*; quòd vel ipsi confitemini, dùm ea non vocatis *Opera bona*, nisi cùm addito, *moraliter*, hoc est, *bona secundùm quid*; non autem, *bona simpliciter* Propositio autem, quam condemnant Magistri Vestri, de *Opere bono* loquitur sine addito; adeóque de *Opere bono simpliciter*, quòd salutare sit, seu, ad salutem utile: nam alioquin simpliciter bonum non est.

IV.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum & Jesum Christum. Prop. 53.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Pudet à Doctoribus Christianis condemnatam esse hanc propositionem, quæ primum est vitæ Christianæ principium, ab Apostolo, à SS. Patribus, & à Christianis Scriptoribus tantoperè iis, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, commendatum.

Coloss. 3. Apostolus: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini*

mini Jesu Christi. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Cur? *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia:* IPSI GLORIA *in sæcula.* 1 Cor. 10. Rom. 11.

Basilius: " CHRISTIANUS si actiones suas OMNES, sive minores, sive majores ad Dei voluntatem direxerit. . . . Pauli PRÆCEPTO illi satisfaciet: *sive manducatis, sive bibitis* &c. In Reg. fusius disp. Inter. 5.

Hieronymus ad hæc verba, *sive manducatis, sive bibitis* &c. " Nihil, inquit, magis agendum est CHRISTIANO, quàm ut in OMNI opere ejus, Dei gloria prædicetur. Comment. in Epist. 1. ad Cor. cap. 10.

Augustinus: PRÆCIPIT Apostolus dicens: *Omnia vestra in charitate fiant.* De Corr. & Grat. c. 3.

" Quidquid se putaverit homo facere benè, SI FIAT SINE CARITATE, NULLO MODO FIT BENE. De Grat. & Lib. arb. c. 18.

" Hæc regula dilectionis divinitùs constituta est: *Diliges . . . Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente,* ut OMNES cogitationes tuas, & OMNEM vitam, & OMNEM intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Lib. 1. de doct. Chr. c. 22.

Bernardus: " Quidquid facimus, JUBEMUR FACERE IN GLORIAM DEI. Serm. 2. de div.

Author Lib. de Imit. Christi: " Fili, ego DEBEO esse finis tuus supremus & ultimatus. . . . OMNIA ergo ad me principaliter referas, quia ego sum qui omnia dedi. L. 3. c. 9.

Cardinalis Bona: " Sententia Apostoli est, OMNIA OPERA AD DEUM Princ. Vitæ Chris. p. 1. §. 29.

„ EJUSQUE GLORIAM REFEREN-
„ DA ESSE, ut veræ virtutis rationem
„ conſequantur: *ſivè*, inquit, *manducatis*,
„ *ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, om-*
1 Cor. 10. 31. „ *nia in gloriam Dei facite.* Et alio lo-
„ co: *Omne quodcumque facitis in verbo*,
„ *aut in opere, omnia in nomine Domini*
„ *Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo & Pa-*
Coloſſ. 3. 17. „ *tri per ipſum.* Quidquid enim boni à
„ nobis fit, quòd non fit propter Deum,
„ etſi officio videatur bonum, deficiente
„ tamen recto fine, malum eſt. . . .
„ Hinc Theologi, licèt unanimi conſen-
„ ſu aſſerant, quaſdam actiones humanas,
„ nec bonas ex ſe, nec malas eſſe, quales
„ ſunt ambulare, comedere, dormire;
„ docent tamen eum peccare, qui re ip-
„ ſa dormit, edit, ambulat, & hæc non
„ refert ad ultimum finem, quia deficit à
„ prima & univerſali regula humanarum
„ actionum, quæ eſt idem finis, ad quem
„ quidquid agimus, dirigere oportet.

Poſtremò ipſa Facultas Theologica Lovanienſis doctrinam propoſitionis, quam hìc aſſerimus, coram Innocentio XI. profeſſa eſt anno 1677. Et nè cavillemini circa vocem, *charitas*, quâ utitur propoſitio, quaſi actiones in Deum referendæ ſint per charitatem habitualem: eâdem etiam voce uſa tunc fuit Facultas coram ſede Apoſtolicâ, & *charitatem* phraſi Auguſtini ac Patrum non aliud eſſe quàm *bonam voluntatem* declaravit.

Quàm glorioſum fuit Magiſtris noſtris eam doctrinam coram Sanctâ ſede profiteri: tam ignominioſum eſt veſtris eam condemnaſſe.

V.

V.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia. Prop. 47.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Hæc propositio Scripturarum ac Patrum doctrina est.

Dilectio, inquit sapiens, *custodia legum illius est.* Ergo ubi non est dilectio, custodia legum non est: ubi verò custodia legum non est, ibi custodia legum seu obedientia exterior, non est nisi hypocrisis & falsa justitia: simulat enim, qui exteriùs sic leges custodit, ut significet se leges custodire; & tamen non custodit. Sap. 7.

Plenitudo Legis, πλήρωμα νόμου, inquit Apostolus, *est dilectio.* Ergo sine dilectione non impletur lex: proindè qui sine dilectione legem implet exteriùs, eam non implet; sed per hypocrisim & falsam justitiam implere se illam simulat. Rom. 13.

Augustinus: " UNA (charitate) Deo VERACITER & suaviter OBEDITUR. De Dono Persev. c. 16.

" PER CHARITATEM LEX IMPLETUR, non per timorem. In Ps. 67.

 " Etsi

De Grat. Chr. c. 26. „ Etsi mandatum Dei VIDETUR aliquando à non diligentibus, sed à timentibus fieri, tamen UBI NON EST DILECTIO, NULLUM bonum opus imputatur, NEC RECTE bonum opus vocatur.

Lib. 19. cont. Faust. c. 27. „ SOLA CARITATE justitia legis potest impleri.

De Catech. rud. c. 20. „ Legem NON IMPLET NISI CHARITAS.

Cont. 2. Epist. Pelag. lib. 3. c. 7. „ Sic eos littera occidit, aut apertè etiam sibi reos, non faciendo quod præcipit; aut putando se facere, quod spiritali, quæ ex Deo est, non faciunt charitate: ita remanent AUT APERTE INIQUI, AUT FALLACITER JUSTI.

Q. 54. in Deut. &c. „ Si forinsecus ea quæ Deus jubet manibus fiant, & in corde non fiant, nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur impleri.

Hom. 19. in Epist. ad Heb. Chrysostomus: " Nullum est bonum, QUOD NON SIT CHARITATIS. Ergo nec bonum obedientiæ.

Serm. de charitate quæ cuncta dirigit & permeat. Idem: " Nihil est boni & honesti, quin ortum ex ea (charitate) ducat. *Charitas* enim, ut Paulus inquit, *legis est adimpletio.*

Sent. 223. Prosper: " Plenitudo legis caritas est, quia PER CHARITATEM LEX IMPLETUR, non per timorem.

Gregorius: OMNE MANDATUM DE SOLA DILECTIONE EST, & omnia unum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Ut enim arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una carita-

„ te

„ te generantur. Nec habet aliquid viridi-„ tatis ramus boni operis, si non manet in „ radice caritatis. Ergo nec aliquid viriditatis habet opus obedientiæ, si non manet in radice caritatis: si autem non habet aliquid viriditatis; non est nisi hypocrisis & falsa justitia.

Doctrinam ergo Scripturarum & Patrum Magistri Vestri damnârunt.

§. VI.

De solo timore, absque amore.

Sublato discrimine Legis novæ ac veteris, ablatâque caritatis seu dilectionis ad rectè operandum necessitate, quid supererat, nisi ut solus timor absque amore diceretur cor peccatoris à peccato avertere? Dicunt hoc Magistri Vestri, cùm damnant propositiones, quæ absque amore justitiæ cor adhuc peccato addici affirmant. Nos eas, ut certissima SS. Patrum, S. Thomæ, & Scholæ Lovaniensis antiquæ dogmata, asseremus.

I.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Timor non nisi manum cohibet: cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. Prop. 61.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

1. 2. q. 107. a. 1. ad 2. Hæc propoſitio ipſiſſima eſt S. Thomæ doctrina his verbis expreſſa: " Lex vetus „ dicitur COHIBERE MANUM, NON „ ANIMUM; quia qui TIMORE POENÆ ab aliquo peccato abſtinet, NON „ SIMPLICITER EJUS VOLUNTAS „ A PECCATO RECEDIT, ſicut recedit voluntas ejus QUI AMORE JUSTITIÆ ABSTINET à peccato: & „ propter hoc Lex nova, quæ eſt Lex amoris, dicitur animum cohibere. Eadem eſt SS. Patrum doctrina, è quibus pauca ſubjicimus.

In Luc. Lib. 8. n. 21. Ambroſius: QUI METUIT, REPRIMITUR, NON EMENDATUR.

In Pſ. 118. Serm. 25. Auguſtinus: " Timor iſte, quo non „ amatur juſtitia, ſed timetur pœna, ſervilis eſt, quia carnalis eſt; & ideò non „ crucifigit carnem. VIVIT ENIM „ PECCANDI VOLUNTAS. . . . Timore autem caſto, ipſa quæ hunc timorem foras mittit, peccare timet caritas.

Ep. 145. al. 144. ad Anaſt. n. 4. „ INIMICUS JUSTITIÆ EST, „ QUI POENÆ TIMORE NON PECCAT: amicus autem erit, ſi ejus amore „ non peccet: tunc enim verè timebit peccare. . . . TANTUM porrò quiſque „ peccatum odit, QUANTUM juſtitiam „ diligit.

L. 2. cont. adv. Legis c. 7. „ DESIDERIUM PECCANDI. . . . „ NON EXTINGUITUR, NISI contrario deſiderio faciendi rectè, UBI

„ FI-

„ FIDES PER DILECTIONEM OPE-
„ RATUR.

Gregorius: " Sancta Electorum Ecclesia simplicitatis suæ ac rectitudinis vias timore inchoat, sed caritate consummat: Cui TUNC EST FUNDITUS A MALO RECEDERE, CUM EX AMORE DEI COEPERIT JAM NOLLE PECCARE. Cùm verò adhuc timore bona agit, à malo penitus non recessit. L. 1. Mor. c. 26.

Bernardus: " NEC TIMOR, NEC AMOR PRIVATUS CONVERTIT ANIMAM. Mutant interdum vultum vel actum, AFFECTUM NUMQUAM: facit quidem etiam servus nonnumquam opus Dei: sed quia non sponte, IN SUA ADHUC DURITIA PERMANERE CONVINCITUR. Ep. 2.

Objicietis: Timor inferni potest esse tam vehemens, ut non tantùm *cohibeat manum* à peccatis externis; sed & *animum cohibeat* à multis internis, quæ solo animo committuntur: Ergo verum non est, *quòd timor tantùm cohibeat manum, non animum.*

R. Cùm dicunt SS. Patres, quòd *timor non cohibeat animum*, non sic illud intelligendum est, ac si timor non possit etiam cohibere animum à multis peccatis internis, quæ alioquin solo animo committerentur; sed *quod non cohibeat animum à peccato* SIMPLICITER. " Quia ut S. Thomas jam antè citatus, qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, NON SIMPLICITER ejus voluntas à peccato recedit &c. Neque aliud significat propositio, cùm dicit:

Cor autem tamdiu peccato addicitur. &c.

Aliam ex his verbis cavillationem movebit fortaſſè alius, dicetque illis ſignificari, quòd *cor tamdiu actu peccet*, ſeu, *novos actus peccati committat, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur:* quod cum verum non ſit, meritò potuit damnari.

R. Intelleximus hoc jam pridem in Scholâ Veſtrâ reſpondiſſe quemdam Doctoralis Laureæ Candidatum, cui cùm objiceretur propoſitio condemnata, atque ex illius condemnatione probaretur, *Cor* NON *tamdiu peccato addici, quamdiu amore juſtitiæ non ducitur*; adeóque à peccato averti poſſe per ſolum timorem: non aliud effugium invenit, quàm ut diceret, propoſitionem quidem rectè condemnatam eſſe; ſed ideò tantùm condemnatam, quòd ſignificaret, *cor tamdiu novos ac novos actus peccatis committere*, quamdiu amore juſtitiæ non ducitur: proindè ſalvam adhuc manere & à condemnatione tutam Scholæ Lovanienſis de ſolo timore doctrinam. Reſponſum cum indignatione & riſu plurium acceptum eſt, corridentibus in ſinu ſuo, qui aderant, Patribus Jeſuitis, ſibique plaudentibus, quòd non alio amplius effugio poſſent Theologi Lovanienſes ſuam de timore ſententiam à condemnatione tueri. Quid enim ridiculum magis, quàm dicere propoſitione condemnatâ ſignificari; *Cor tamdiu* PER NOVOS AC NOVOS ACTUS *peccato addici, quamdiu amore juſtitiæ non ducitur*? Dum contrà manifeſtum eſt, non aliud ſignificari, quàm *cor tamdiu* ACTU VEL VIRTUTE *peccato*

cato addici, quamdiu amore justitiæ non ducitur. Cor enim *addici peccato*, non est aliud quàm, *cor addictum esse peccato*; quod magis HABITUM ET VIRTUTEM sonat quàm *actum*.

Quamobrem, si aliud Magistri Vestri effugium non inveniant, debent vel antiquam Scholæ suæ de timore doctrinam abjicere, vel condemnationem illius propositionis recantare.

II.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo. Prop. 62.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Si damnari possit ista propositio, damnandæ etiam sunt hæ Patrum sententiæ, quibus non sensus tantùm, sed ipsa etiam propositionis verba, aut prorsus æquivalentia, exprimuntur.

„ Sub Lege est, QUI TIMORE SUPPLICII quod lex minatur, non amore justitiæ SE SENTIT ABSTINERE AB OPERE PECCATI, NONDUM LIBER NEC ALIENUS A VOLUNTATE PECCATI. In ipsa enim voluntate REUS EST, quâ mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut liberè faciat quod occultè desiderat. (Aug. de Nat. & Grat. c. 57.)

Idem lib. 1 ad Bonif. c. 9. „ IN IPSA INTUS VOLUNTATE „ PECCAT, QUI NON VOLUNTATE, „ SED TIMORE NON PECCAT.

Idem in Ps. 77. „ EX CORDE NULLO MODO „ FIERI POTEST, QUOD FORMI„DINE FIT POENÆ, non dilectione „ justitiæ. Nam quantum attinet ad facta „ quæ forinsecus aguntur, & qui timent „ pœnam, & qui amant justitiam, non fu„rantur; & ideò pares sunt manu, DIS„PARES CORDE; pares opere, DISPA„RES VOLUNTATE.

Idem Epist. ad Anast. nunc 155. aliàs 144. „ INANITER putat victorem se esse „ peccati, QUI POENÆ TIMORE NON „ PECCAT; quia etsi non impletur foris „ negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen „ MALA CUPIDITAS INTUS EST „ HOSTIS.

Ibidem. „ Et quis coram Deo innocens inveni„tur, qui vult fieri quod vetatur, si sub„strahas quod timetur. Ac per hoc IN „ IPSA VOLUNTATE REUS EST, „ qui vult facere quod non licet fieri; sed „ ideò non facit, quia impunè non potest „ fieri.

Ibidem. „ INIMICUS ERGO JUSTITIÆ „ EST, QUI POENÆ TIMORE NON „ PECCAT.

Idem Serm. nunc 169. aliàs 15. de Verb. Apost. „ QUI TIMORE POENÆ NON „ CONCUPISCIT, PUTO QUIA CON„CUPISCIT.

Prosp Sent. 117. „ QUI TIMORE NON PECCAT, „ quamvis non noceat cui vult nocere, „ sibi tamen plurimum nocet, & ABSTI„NENS AB INIQUO OPERE, SOLA „ TAMEN REUS EST VOLUNTA„TE.

„ Si

„ Si adhuc à prava actione formidata „ pœna prohibet, profectò FORMIDANTIS ANIMUM NULLA LIBERTAS TENET. Nam si pœnam non metueret, culpam procul dubio perpetraret. „ Ignorat itaque mens gratiam libertatis, „ quam ligat servitus timoris. S. Greg. De Cura Past. p. 3. c. 13.

" Qui propterea bona facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse „ quod metuat, ut audenter illicita committat. Undè LUCE CLARIUS CONSTAT, QUOD CORAM DEO INNOCENTIA AMITTITUR, ante cujus „ oculos desiderio peccatur. Ibidem.

Has Patrum sententias damnare nefas est: Ergo nec Magistris Vestris fas fuit damnasse, quam hic asseruimus propositionem.

III.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicut bestiæ, sed per fidem & per amorem, sicut filii. Prop. 66.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Quis ad hujus propositionis condemnationem non obstupescat! Dicit propositio, *Qui vult Deo appropinquare, non debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus.*

 Di-

Dantur *opera moraliter bona*, abſque ullo Dei amore.

R. Per nos licet, dentur *opera ſine Dei amore*, ut vocatis, *moraliter bona* de nomine non altercabimur. Hoc negamus, ea eſſe *Opera bona ſimpliciter*; quòd vel ipſi confitemini, dùm ea non vocatis *Opera bona*, niſi cùm addito, *moraliter*, hoc eſt, *bona ſecundùm quid*; non autem, *bona ſimpliciter* Propoſitio autem, quam condemnant Magiſtri Veſtri, de *Opere bono* loquitur ſine addito; adeóque de *Opere bono ſimpliciter*, quòd ſalutare ſit, ſeu, ad ſalutem utile: nam alioquin ſimpliciter bonum non eſt.

IV.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Sola charitas chriſtiano modo facit (actiones chriſtianas) per relationem ad Deum & Jeſum Chriſtum. Prop. 53.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

Pudet à Doctoribus Chriſtianis condemnatam eſſe hanc propoſitionem, quæ primum eſt vitæ Chriſtianæ principium, ab Apoſtolo, à SS. Patribus, & à Chriſtianis Scriptoribus tantoperè iis, qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, commendatum.

Coloſſ. 3. Apoſtolus: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini*

mini Jesu Christi. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Cur? *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia:* IPSI GLORIA *in sæcula.* 1 Cor. 10. Rom. 11.

Basilius: " CHRISTIANUS si actiones suas OMNES, sive minores, sive majores ad Dei voluntatem direxerit. . . . Pauli PRÆCEPTO illi satisfaciet: *sive manducatis, sive bibitis* &c. In Reg. fusius disp. Inter. 5.

Hieronymus ad hæc verba, *sive manducatis, sive bibitis* &c. " Nihil, inquit, magis agendum est CHRISTIANO, quàm ut in OMNI opere ejus, Dei gloria prædicetur. Comment. in Epist. 1. ad Cor. cap. 10.

Augustinus: PRÆCIPIT Apostolus dicens: *Omnia vestra in charitate fiant.* De Corr. & Grat. c. 3.

" Quidquid se putaverit homo facere benè, SI FIAT SINE CARITATE, NULLO MODO FIT BENE. De Grat. & Lib. arb. c. 18.

" Hæc regula dilectionis divinitùs constituta est: *Diliges. . . . Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente*, ut OMNES cogitationes tuas, & OMNEM vitam, & OMNEM intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Lib. 1. de doct. Chr. c. 22.

Bernardus: " Quidquid facimus, JUBEMUR FACERE IN GLORIAM DEI. Serm. 2. de div.

Author Lib. de Imit. Christi: " Fili, ego DEBEO esse finis tuus supremus & ultimatus. . . . OMNIA ergo ad me principaliter referas, quia ego sum qui omnia dedi. L. 3. c. 9.

Cardinalis Bona: " Sententia Apostoli est, OMNIA OPERA AD DEUM Princ. Vitæ Chris. p. 1. §. 29.

E " EJUS-

„ EJUSQUE GLORIAM REFEREN-
„ DA ESSE, ut veræ virtutis rationem
„ conſequantur: *ſivè*, inquit, *manducatis,*
„ *ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, om-*
1 Cor. 10. 31. „ *nia in gloriam Dei facite.* Et alio lo-
„ co: *Omne quodcumque facitis in verbo,*
„ *aut in opere, omnia in nomine Domini*
„ *Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo & Pa-*
Coloſſ. 3. 17. „ *tri per ipſum.* Quidquid enim boni à
„ nobis fit, quòd non fit propter Deum,
„ etſi officio videatur bonum, deficiente
„ tamen recto fine, malum eſt. . . .
„ Hinc Theologi, licèt unanimi conſen-
„ ſu aſſerant, quaſdam actiones humanas,
„ nec bonas ex ſe, nec malas eſſe, quales
„ ſunt ambulare, comedere, dormire;
„ docent tamen eum peccare, qui re ip-
„ ſa dormit, edit, ambulat, & hæc non
„ refert ad ultimum finem, quia deficit à
„ prima & univerſali regula humanarum
„ actionum, quæ eſt idem finis, ad quem
„ quidquid agimus, dirigere oportet.

Poſtremò ipſa Facultas Theologica Lovanienſis doctrinam propoſitionis, quam hìc aſſerimus, coram Innocentio XI. profeſſa eſt anno 1677. Et nè cavillemini circa vocem, *charitas*, quâ utitur propoſitio, quaſi actiones in Deum referendæ ſint per charitatem habitualem: eâdem etiam voce uſa tunc fuit Facultas coram ſede Apoſtolicâ, & *charitatem* phraſi Auguſtini ac Patrum non aliud eſſe quàm *bonam voluntatem* declaravit.

Quàm glorioſum fuit Magiſtris noſtris eam doctrinam coram Sanctâ ſede profiteri: tam ignominioſum eſt veſtris eam condemnaſſe.

V.

V.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia. Prop. 47.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Hæc propositio Scripturarum ac Patrum doctrina est.

Dilectio, inquit sapiens, *custodia legum illius est.* Ergo ubi non est dilectio, custodia legum non est: ubi verò custodia legum non est, ibi custodia legum seu obedientia exterior, non est nisi hypocrisis & falsa justitia: simulat enim, qui exteriùs sic leges custodit, ut significet se leges custodire; & tamen non custodit. Sap. 7.

Plenitudo Legis, πλήρωμα νόμου, inquit Apostolus, *est dilectio.* Ergo sine dilectione non impletur lex: proindè qui sine dilectione legem implet exteriùs, eam non implet; sed per hypocrisim & falsam justitiam implere se illam simulat. Rom. 13.

Augustinus: " UNA (charitate) Deo VERACITER & suaviter OBEDITUR. De Dono Perfev. c. 16.
" PER CHARITATEM LEX IMPLETUR, non per timorem. In Ps. 67.

De Grat. Chr. c. 26. „ Etsi mandatum Dei VIDETUR aliquando à non diligentibus, sed à timentibus fieri, tamen UBI NON EST DILECTIO, NULLUM bonum opus imputatur, NEC RECTE bonum opus vocatur.

Lib. 19. cont. Faust. c. 27. „ SOLA CARITATE justitia legis potest impleri.

De Catech. rud. c. 20. „ Legem NON IMPLET NISI CHARITAS.

Cont. 2. Epist. Pelag. lib. 3. c. 7. „ Sic eos littera occidit, aut apertè etiam sibi reos, non faciendo quod præcipit; aut putando se facere, quod spiritali, quæ ex Deo est, non faciunt charitate: ita remanent AUT APERTE INIQUI, AUT FALLACITER JUSTI.

Q. 54. in Deut. &c. „ Si forinsecus ea quæ Deus jubet manibus fiant, & in corde non fiant, nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur impleri.

Hom. 19. in Epist. ad Heb. Chrysostomus: " Nullum est bonum, QUOD NON SIT CHARITATIS. Ergo nec bonum obedientiæ.

Serm. de charitate quæ cuncta dirigit & perficit. Idem: " Nihil est boni & honesti, quin ortum ex ea (charitate) ducat. *Charitas* enim, ut Paulus inquit, *legis est adimpletio.*

Sent. 223. Prosper: " Plenitudo legis caritas est, quia PER CHARITATEM LEX IMPLETUR, non per timorem.

Homil. 27. in Evang. Gregorius: OMNE MANDATUM DE SOLA DILECTIONE EST, & omnia unum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Ut enim arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una caritate

„ te generantur. Nec habet aliquid viridi-„ tatis ramus boni operis, si non manet in „ radice caritatis. Ergo nec aliquid viriditatis habet opus obedientiæ, si non manet in radice caritatis: si autem non habet aliquid viriditatis; non est nisi hypocrisis & falsa justitia.

Doctrinam ergo Scripturarum & Patrum Magistri Vestri damnârunt.

§. VI.

De solo timore, absque amore.

Sublato discrimine Legis novæ ac veteris, ablatâque caritatis seu dilectionis ad rectè operandum necessitate, quid supererat, nisi ut solus timor absque amore diceretur cor peccatoris à peccato avertere? Dicunt hoc Magistri Vestri, cùm damnant propositiones, quæ absque amore justitiæ cor adhuc peccato addici affirmant. Nos eas, ut certissima SS. Patrum, S. Thomæ, & Scholæ Lovaniensis antiquæ dogmata, asseremus.

I.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Timor non nisi manum cohibet: cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. Prop. 61.

Per Difcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienfis Antiquæ afferta.

1. 2. q. 107. a. 1. ad 2. Hæc propofitio ipfiffima eft S. Thomæ doctrina his verbis expreffa : " Lex vetus „ dicitur COHIBERE MANUM, NON „ ANIMUM ; quia qui TIMORE POENÆ ab aliquo peccato abftinet, NON „ SIMPLICITER EJUS VOLUNTAS „ A PECCATO RECEDIT, ficut recedit voluntas ejus QUI AMORE JUSTITIÆ ABSTINET à peccato : & „ propter hoc Lex nova, quæ eft Lex amoris, dicitur animum cohibere. Eadem eft SS. Patrum doctrina, è quibus pauca fubjicimus.

In Luc. Lib. 8. n 21. Ambrofius : QUI METUIT, REPRIMITUR, NON EMENDATUR.

In Pf. 118. Serm. 25. Auguftinus : " Timor ifte, quo non amatur juftitia, fed timetur pœna, fervilis eft, quia carnalis eft ; & ideò non „ crucifigit carnem. VIVIT ENIM „ PECCANDI VOLUNTAS. . . . Timore autem cafto, ipfa quæ hunc timorem foras mittit, peccare timet caritas.

Ep. 145. al. 144. ad Anaft. n. 4. „ INIMICUS JUSTITIÆ EST, „ QUI POENÆ TIMORE NON PECCAT : amicus autem erit, fi ejus amore „ non peccet : tunc enim verè timebit peccare. . . . TANTUM porrò quifque „ peccatum odit, QUANTUM juftitiam „ diligit.

L. 2. cont. adv. Legis c. 7. „ DESIDERIUM PECCANDI. . . . „ NON EXTINGUITUR, NISI contrario defiderio faciendi rectè, UBI „ FI-

„ FIDES PER DILECTIONEM OPE-
„ RATUR.

Gregorius: " Sancta Electorum Eccle- L. 1. Mor. c. 26.
„ sia simplicitatis suæ ac rectitudinis vias
„ timore inchoat, sed caritate consummat:
„ Cui TUNC EST FUNDITUS A MA-
„ LO RECEDERE, CUM EX AMORE
„ DEI COEPERIT JAM NOLLE
„ PECCARE. Cùm verò adhuc timore
„ bona agit, à malo penitus non re-
„ cessit.

Bernardus: " NEC TIMOR, NEC Ep. 2.
„ AMOR PRIVATUS CONVERTIT
„ ANIMAM. Mutant interdum vultum
„ vel actum, AFFECTUM NUMQUAM:
„ facit quidem etiam servus nonnumquam
„ opus Dei: sed quia non sponte, IN
„ SUA ADHUC DURITIA PERMA-
„ NERE CONVINCITUR.

Objicietis: Timor inferni potest esse tam vehemens, ut non tantùm *cohibeat manum* à peccatis externis; sed & *animum cohibeat* à multis internis, quæ solo animo committuntur: Ergo verum non est, *quòd timor tantùm cohibeat manum, non animum.*

R. Cùm dicunt SS. Patres, quòd *timor non cohibeat animum*, non sic illud intelligendum est, ac si timor non possit etiam cohibere animum à multis peccatis internis, quæ alioquin solo animo committerentur; sed *quod non cohibeat animum à peccato* SIMPLICITER. " Quia ut S. Thomas jam antè citatus, qui timore pœnæ ab aliquo
„ peccato abstinet, NON SIMPLICITER
„ ejus voluntas à peccato recedit &c. Neque aliud significat propositio, cùm dicit:

Cor autem tamdiu peccato addicitur. &c.

Aliam ex his verbis cavillationem movebit fortassè alius, dicetque illis significari, quòd *cor tamdiu actu peccet*, seu, *novos actus peccati committat, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur:* quod cum verum non sit, meritò potuit damnari.

R. Intelleximus hoc jam pridem in Scholâ Vestrâ respondisse quemdam Doctoralis Laureæ Candidatum, cui cùm objiceretur propositio condemnata, atque ex illius condemnatione probaretur, *Cor* NON *tamdiu peccato addici, quamdiu amore justitiæ non ducitur*; adeóque à peccato averti posse per solum timorem: non aliud effugium invenit, quàm ut diceret, propositionem quidem rectè condemnatam esse; sed ideò tantùm condemnatam, quòd significaret, *cor tamdiu novos ac novos actus peccati committere*, quamdiu amore justitiæ non ducitur: proindè salvam adhuc manere & à condemnatione tutam Scholæ Lovaniensis de solo timore doctrinam. Responsum cum indignatione & risu plurium acceptum est, corridentibus in sinu suo, qui aderant, Patribus Jesuitis, sibique plaudentibus, quòd non alio amplius effugio possent Theologi Lovanienses suam de timore sententiam à condemnatione tueri. Quid enim ridiculum magis, quàm dicere propositione condemnatâ significari; *Cor tamdiu* PER NOVOS AC NOVOS ACTUS *peccato addici, quamdiu amore justitiæ non ducitur*? Dum contrà manifestum est, non aliud significari, quàm *cor tamdiu* ACTU VEL VIRTUTE *peccato*

cato addici, quamdiu amore justitiæ non ducitur. Cor enim *addici peccato*, non est aliud quàm, *cor addictum esse peccato*; quod magis HABITUM ET VIRTUTEM sonat quàm *actum*.

Quamobrem, si aliud Magistri Vestri effugium non inveniant, debent vel antiquam Scholæ suæ de timore doctrinam abjicere, vel condemnationem illius propositionis recantare.

II.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo. Prop. 62.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Si damnari possit ista propositio, damnandæ etiam sunt hæ Patrum sententiæ, quibus non sensus tantùm, sed ipsa etiam propositionis verba, aut prorsus æquivalentia, exprimuntur.

„ Sub Lege est, QUI TIMORE SUPPLICII quod lex minatur, non amore justitiæ SE SENTIT ABSTINERE AB OPERE PECCATI, NONDUM LIBER NEC ALIENUS A VOLUNTATE PECCATI. In ipsa enim voluntate REUS EST, quâ mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut liberè faciat quod occultè desiderat. Aug. de Nat. & Grat. c. 57.

 „ In

Idem lib. 1 ad Bonif. c. 9. „ IN IPSA INTUS VOLUNTATE „ PECCAT, QUI NON VOLUNTATE, „ SED TIMORE NON PECCAT.

Idem in Ps. 77. „ EX CORDE NULLO MODO „ FIERI POTEST, QUOD FORMI- „ DINE FIT POENÆ, non dilectione „ justitiæ. Nam quantum attinet ad facta „ quæ forinsecus aguntur, & qui timent „ pœnam, & qui amant justitiam, non fu- „ rantur; & ideò pares sunt manu, DIS- „ PARES CORDE; pares opere, DISPA- „ RES VOLUNTATE.

Idem Epist. ad Anast. nunc 155. aliàs 144. „ INANITER putat victorem se esse „ peccati, QUI POENÆ TIMORE NON „ PECCAT; quia etsi non impletur foris „ negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen „ MALA CUPIDITAS INTUS EST „ HOSTIS.

Ibidem. „ Et quis coram Deo innocens inveni- „ tur, qui vult fieri quod vetatur, si sub- „ strahas quod timetur. Ac per hoc IN „ IPSA VOLUNTATE REUS EST, „ qui vult facere quod non licet fieri; sed „ ideò non facit, quia impunè non potest „ fieri.

Ibidem. „ INIMICUS ERGO JUSTITIÆ „ EST, QUI POENÆ TIMORE NON „ PECCAT.

Idem Serm. nunc 169. aliàs 15. de Verb. Apost. „ QUI TIMORE POENÆ NON „ CONCUPISCIT, PUTO QUIA CON- „ CUPISCIT.

Prosp Sent. 117. „ QUI TIMORE NON PECCAT, „ quamvis non noceat cui vult nocere, „ sibi tamen plurimum nocet, & ABSTI- „ NENS AB INIQUO OPERE, SOLA „ TAMEN REUS EST VOLUNTA- „ TE.

„ Si

„ Si adhuc à prava actione formidata „ pœna prohibet, profecto FORMIDANTIS ANIMUM NULLA LIBERTAS TENET. Nam si pœnam non metueret, culpam procul dubio perpetraret. „ Ignorat itaque mens gratiam libertatis, „ quam ligat servitus timoris. S. Greg. De Cura Past. p. 3. c. 13.

" Qui propterea bona facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse „ quod metuat, ut audenter illicita committat. Undè LUCE CLARIUS CONSTAT, QUOD CORAM DEO INNOCENTIA AMITTITUR, ante cujus „ oculos desiderio peccatur. Ibidem.

Has Patrum sententias damnare nefas est: Ergo nec Magistris Vestris fas fuit damnasse, quam hic asseruimus propositionem.

III.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicut bestiæ, sed per fidem & per amorem, sicut filii. Prop. 66.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Quis ad hujus propositionis condemnationem non obstupescat! Dicit propositio, *Qui vult Deo appropinquare, non debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus.*

Dicentne Magiſtri Veſtri: *Qui vult Deo appropinquare, poteſt ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus?*

Dicit propoſitio: *Neque adduci (debet) per inſtinctum naturalem.* Dicentne illi: *Poteſt, qui Deo appropinquare vult, per inſtinctum naturalem ad Deum adduci?*

Dicit propoſitio: *Neque per timorem, ſicut beſtiæ.* Dicentne illi: Poteſt homo per timorem, ſicut beſtiæ, adduci ad Deum?

Dicit propoſitio: *Sed per fidem & per amorem, ſicut filii.* Ignorantne illi, hanc unam viam, quâ Deo appropinquetur, à Scripturis, Patribus, & Synodo Tridentinâ monſtrari?

Heb. 11. Sine fide non accedi ad Deum, docet Apoſtolus. CREDERE ENIM OPORTET ACCEDENTEM AD DEUM, *quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

Rom. 8. Neque accedi ad eum per ſolum timorem, ſed per amorem docet ad Romanos ſcribens: *Non accepiſtis*, inquit, *ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Quid enim eſt clamare ad Deum, niſi ad Deum accedere? Non clamabatur ſub Lege veteri per ſpiritum ſervitutis in timore; ſed nunc clamatur *per ſpiritum adoptionis filiorum.*

Idem conſtat ex Patribus ſupra citatis §. III. n. 3. Ubi ex illis oſtenſum eſt, quòd fides ſit prima gratia. Si enim ſit prima gratia, non poteſt ante fidem ad Deum accedi: quia ad Deum accedi non poteſt ſine gratia. Et ibidem n. 4. Ubi ex iiſdem patet, fruſtra clamari ad Deum, ſine ſpiritu charitatis ſeu dilectionis. Item §. IV. n. 3. &

& 4. ubi ex iisdem liquet, eum adhuc sub lege esse, qui solum timorem habet sine dilectione. Item §. V. per totum, ubi ex iisdem demonstratum est, nullum esse bonum motum voluntatis sine Dei amore. Adjungendus hic præclarus locus Sancti Prosperi: *Nullus est bonæ voluntatis motus nisi & quem creavit diffusè per Spiritum Sanctum caritatis afflatus.* Ad Deum autem non acceditur, nisi per bonum motum voluntatis. Contra Coll. c. 10.

Sed Patrum antiquorum ignorantiam non miramur in illis, quorum unum fere studium sunt recentiores Scholastici: istud non ferendum, quòd Synodum etiam Tridentinam nescisse videantur. Legant in ea Caput 6. Sess. 6. ubi docetur, quibus dispositionibus, qui volunt Deo appropinquare, ad Deum venire & adduci debeant: non utique *cum brutalibus passionibus*, non *per instinctum naturalem*, non *per timorem sicut bestiæ:* Sed " disponuntur, ait, ad ipsam „ justitiam, dùm EXCITATI DIVINA „ GRATIA ET ADJUTI, FIDEM EX „ AUDITU CONCIPIENTES LIBE„ RE MOVENTUR IN DEUM, cre„ dentes vera esse quæ divinitùs revelata & „ promissa sunt, atque illud imprimis, A „ DEO JUSTIFICARI IMPIUM per „ gratiam ejus, PER REDEMPTIO„ NEM quæ est in Christo Jesu; & dùm „ peccatores se esse intelligentes, A DI„ VINÆ JUSTITIÆ TIMORE, quo „ utiliter concutiuntur, ad considerandam „ Dei misericordiam se convertendo, IN „ SPEM ERIGUNTUR, fidentes Deum „ sibi propter Christum propitium fore, il-

 „ lum-

Dicentne Magiſtri Veſtri: *Qui vult Deo appropinquare, poteſt ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus*?

Dicit propoſitio: *Neque adduci (debet) per inſtinctum naturalem.* Dicentne illi: *Poteſt, qui Deo appropinquare vult, per inſtinctum naturalem ad Deum adduci*?

Dicit propoſitio: *Neque per timorem, ſicut beſtiæ.* Dicentne illi: Poteſt homo per timorem, ſicut beſtiæ, adduci ad Deum?

Dicit propoſitio: *Sed per fidem & per amorem, ſicut filii.* Ignorantne illi, hanc unam viam, quâ Deo appropinquetur, à Scripturis, Patribus, & Synodo Tridentinâ monſtrari?

Heb. 11. Sine fide non accedi ad Deum, docet Apoſtolus. CREDERE ENIM OPORTET ACCEDENTEM AD DEUM, *quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

Rom. 8. Neque accedi ad eum per ſolum timorem, ſed per amorem docet ad Romanos ſcribens: *Non accepiſtis*, inquit, *ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Quid enim eſt clamare ad Deum, niſi ad Deum accedere? Non clamabatur ſub Lege veteri per ſpiritum ſervitutis in timore; ſed nunc clamatur *per ſpiritum adoptionis filiorum.*

Idem conſtat ex Patribus ſupra citatis §. III. n. 3. Ubi ex illis oſtenſum eſt, quòd fides ſit prima gratia. Si enim ſit prima gratia, non poteſt ante fidem ad Deum accedi: quia ad Deum accedi non poteſt ſine gratia. Et ibidem n. 4. Ubi ex iiſdem patet, fruſtra clamari ad Deum, ſine ſpiritu charitatis ſeu dilectionis. Item §. IV. n. 3. &

& 4. ubi ex iisdem liquet, eum adhuc sub lege esse, qui solum timorem habet sine dilectione. Item §. V. per totum, ubi ex iisdem demonstratum est, nullum esse bonum motum voluntatis sine Dei amore. Adjungendus hic præclarus locus Sancti Prosperi: *Nullus est bonæ voluntatis motus nisi & quem creavit diffusè per Spiritum Sanctum caritatis afflatus.* Ad Deum autem non acceditur, nisi per bonum motum voluntatis. Contra Coll. c. 10.

Sed Patrum antiquorum ignorantiam non miramur in illis, quorum unum fere studium sunt recentiores Scholastici: istud non ferendum, quòd Synodum etiam Tridentinam nescisse videantur. Legant in ea Caput 6. Sess. 6. ubi docetur, quibus dispositionibus, qui volunt Deo appropinquare, ad Deum venire & adduci debeant: non utique *cum brutalibus passionibus*, non *per instinctum naturalem*, non *per timorem sicut bestiæ:* Sed " disponuntur, ait, ad ipsam „ justitiam, dùm EXCITATI DIVINA „ GRATIA ET ADJUTI, FIDEM EX „ AUDITU CONCIPIENTES LIBE„ RE MOVENTUR IN DEUM, cre„ dentes vera esse quæ divinitùs revelata & „ promissa sunt, atque illud imprimis, A „ DEO JUSTIFICARI IMPIUM per „ gratiam ejus, PER REDEMPTIO„ NEM quæ est in Christo Jesu; & dùm „ peccatores se esse intelligentes, A DI„ VINÆ JUSTITIÆ TIMORE, quo „ utiliter concutiuntur, ad considerandam „ Dei misericordiam se convertendo, IN „ SPEM ERIGUNTUR, fidentes Deum „ sibi propter Christum propitium fore, il-

„ lumque tamquam omnis juſtitiæ fontem
„ DILIGERE INCIPIUNT.

Itaque ad Deum venitur *non per inſtinctum naturalem*; ſed per DIVINAM GRATIAM, quâ excitantur & adjuvantur qui veniunt: non *cum brutalibus paſſionibus*; ſed cum voluntate quâ deſiderant ut *per Dei gratiam & redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu* à brutalibus paſſionibus liberentur: *non per timorem, ſicut beſtiæ*, ſed per FIDEM, credentes vera eſſe quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt: per SPEM *fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore*: per DILECTIONEM, quâ *Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.*

Poſt doctrinam Concilii œcumenici tam apertam, condemnari potuiſſe à Magiſtris Facultatis Theologicæ Lovanienſis propoſitionem quæ aſſerit, *ad Deum non veniri cum brutalibus paſſionibus, non per inſtinctum naturalem, non per timorem, ſicut beſtiæ; ſed* PER FIDEM ET PER AMOREM *ſicut filii*, quis capiat?

§. VII.

De merito & bonorum Operum corona.

Condemnatâ Scripturarum ac Patrum doctrinâ *de infirmitate hominis lapſi, de gratiæ in liberum arbitrium Omnipotentiâ, de oratione, de diſcrimine Legis antiquæ & novæ*; neceſſe etiam erat condemnari doctrinam, quæ bona opera ac merita PURÆ DEI LIBERALITATIS DONA eſſe

esse agnoscit. Nam si liberum arbitrium adeò infirmum non sit, ut à gratia physicè prædeterminari debeat ad agendum, sed ipsam prædeterminet gratiam; sequitur esse aliquod liberi arbitrii meritum, quod *puræ Dei liberalitatis donum* non sit; utpotè meritum illius prædeterminationis physicæ ad actum bonum, quæ non est à gratia, sed à libero arbitrio. Similiter proscriptâ doctrinâ, quæ ad bonum opus requirit charitatem; non poterat non etiam proscribi doctrina, quæ solam charitatem à Deo coronari affirmat.

Utrumque fecêre Magistri Vestri, ut ex propositionibus, quas condemnârunt, hìc asserendis constabit.

I.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei. Prop. 69.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Hanc propositionem audivimus plurimum negotii facessivisse uni è Magistris Vestris. Fatebatur is initio, videri eam sibi fidei catholicæ veritatem, nullamque esse inter propositiones centum & unam, quam condemnaret ægriùs: sed ubi ad rem ventum est, propositionem quæstioni addixit, diuque ac multum cum ea & secum luctatus,

tus,

tus, cum cæteris tandem Magistris in illius condemnationem purè ac simpliciter consensit. Argumenta, quibus eam catholicæ fidei veritatem esse constat à Magistris nostris hæc accepimus.

1. Si *fides*, *usus*, *augmentum*, & *præmium fidei*, *totum* non *esset donum puræ liberalitatis Dei*; possemus gloriari nos totum non accepisse purè liberaliter à Deo: Atqui sic gloriari non possumus: *Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ergo *fides*, *usus*, *augmentum*, & *præmium fidei*, *totum est donum puræ liberalitatis Dei*.

1 Cor. 4.

De Corr. & grat. c. 7.

2. " Hoc autem Apostolicum testimo„ nium, *Quid habes quod non accepisti?* „ &c. tam magnum est, ait Augustinus, „ ut beatus Cyprianus ad Quirinum scri„ bens, ipsum subjecerit illi titulo in quo „ ait: IN NULLO ESSE GLORIAN„ DUM, QUANDO NOSTRUM NIHIL „ SIT. Atqui nostrum esset aliquid, & in aliquo liceret gloriari; si totum non esset puræ liberalitatis Dei: Ergo.

3. Ecclesia à Deo petit *fidem*, *usum*, *augmentum*, & *præmium fidei*: Ergo totum esse donum puræ liberalitatis Dei agnoscit & credit Ecclesia. De hac Ecclesiæ fide Cœlestinus Papa in Epistola ad Galliarum Episcopos: " His, inquit, Ecclesiasticis „ regulis, & ex Divinâ sumptis autoritate „ documentis, ita adjuvante Domino con„ formati sumus, ut omnium bonorum „ affectuum, atque operum, & omnium „ studiorum, omniumque virtutum, QUI„ BUS AB INITIO FIDEI AD DEUM „ TENDITUR, DEUM PROFITEA„ MUR

„ MUR AUCTOREM, & non dubitemus
„ AB IPSIUS GRATIA OMNIA HO-
„ MINIS MERITA PRÆVENIRI,
„ per quem fit ut aliquid boni & velle in-
„ cipiamus & facere. . . . Tanta enim
„ est erga omnes homines bonitas Dei,
„ UT NOSTRA ESSE VELIT MERI-
„ TA QUÆ SUNT IPSIUS DONA, &
„ pro his QUÆ LARGITUS EST, æter-
„ na præmia sit donaturus.

Si DEI DONA sint omnia, *quibus ab initio fidei ad Deum tenditur*, & *pro his quæ largitus est*, ÆTERNA PRÆMIA SIT DONATURUS; profectò sequitur, quòd & *fides*, *&* *usus*, *&* *augmentum*, *&* *præmium fidei*, *totum sit donum puræ liberalitatis Dei*.

4. " Quod est ergo, inquit Augusti- Ep. 174. ad Sixt. aliàs 105.
„ nus, meritum hominis ante gratiam,
„ quo merito percipiat gratiam, cùm om-
„ ne bonum meritum nostrum non in no-
„ bis faciat nisi gratia; ET CUM DEUS
„ CORONAT MERITA NOSTRA, NI-
„ HIL ALIUD CORONET QUAM
„ MUNERA SUA? Atqui munera sunt *dona puræ liberalitatis:* Ergo. Ibidem.

5. " Unde & ipsa vita æterna. . . .
„ GRATIA nuncupatur, non ob aliud
„ nisi quia GRATIS DATUR; nec ideò
„ quia non meritis datur, sed quia DATA
„ SUNT ET IPSA MERITA QUIBUS
„ DATUR. *Et quod gratis datur, puræ liberalitatis* est: Ergo.

6. Idem: " Ipsum hominis meritum DO- Ep. 186. ad Paul. Al. 106.
„ NUM EST GRATUITUM. Atqui *donum gratuitum* est *puræ liberalitatis:* Ergo.

7. Idem: " Da veniam, Apostole, pro- Serm. 333.
„ pria

„ pria tua non novi nisi mala. . . . Cùm „ ergo Deus coronat MERITA TUA, „ NIHIL CORONAT NISI DONA „ SUA. Hanc fidem, veramque pietatem. . . . nullæ argumentationes evel„ lant de cordibus vestris. Atqui merita *quæ non sunt nisi dona Dei*, sunt *puræ liberalitatis:* Ergo.

De Dono Perſ. c. 13. 8. Idem: " Nos ergo volumus, sed „ Deus in nobis operatur & velle; nos er„ go operamur, sed Deus in nobis opera„ tur & operari pro bona voluntate. Hoc „ nobis expedit & credere & dicere: hoc „ est pium, hoc verum, ut sit humilis & „ submissa confessio, & DETUR TO„ TUM DEO. Atqui non datur TOTUM Deo, si non credatur & dicatur, quòd totum sit PURÆ LIBERALITATIS DEI.

De grat. & lib. arb. c. 7. 9. " Si ergo, inquit idem, Dei dona „ sunt merita tua, NON Deus coronat „ merita tua, TANQUAM MERITA „ TUA, SED TANQUAM DONA SUA. Proinde tanquàm dona puræ suæ liberalitatis.

Lib. 1. c. 23. 10. Auctor de vocatione Gent. " Di„ vinis eloquiis manifestatur omne homi„ nis bonum meritum AB INITIO FI„ DEI USQUE AD PERSEVERAN„ TIÆ CONSUMMATIONEM, DO„ NUM ATQUE OPUS ESSE DIVI„ NUM. Atqui non esset DONUM ATQUE OPUS DIVINUM, si non esset DONUM PURÆ LIBERALITATIS DEI: Ergo.

11. Tandem Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 16. " Absit ut Christianus ho„ mo

„ mo in se ipso vel confidat, vel glorie-
„ tur, & non in Domino: cujus tanta est
„ erga omnes homines bonitas, UT EO-
„ RUM VELIT ESSE MERITA, QUÆ
„ SUNT IPSIUS DONA. Atqui posset in se ipso vel confidere vel gloriari, & non in Domino; si totum non esset donum *puræ liberalitatis Dei*: si enim totum non esset donum puræ liberalitatis Dei; esset aliquid non purè liberaliter datum à Deo: Quòd verò est non purè liberaliter datum à Deo, partim saltem est ab homine, & non à Deo: Ergo potest homo in se ipso partim saltem confidere & gloriari.

Nec prætermittendus locus insignis Sancti Cypriani, qui sic habet: " Qui (Deus) nos in congressione nominis sui desuper spectans volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat, *retributione bonitatis* ac pietatis paternæ *remunerans in nobis quidquid ipse præstitit*, *&* *honorans quod ipse perfecit*. Ipsius enim esse quod vincimus, & quod ad maximi certaminis palmam subacto adversario pervenimus, declarat & Dominus in Evangelio suo, dicens: Cùm autem vos tradiderint *&c.* Epist. 76. ad Nemes. aliàs 77.

Quid plura in re tam manifestâ? Ipsa contradictoria propositionis condemnatæ Catholicis auribus horrorem incutit. Quis enim Catholicus sine horrore audiat: *fides*, *usus*, *augmentum*, *&* *præmium fidei*, *totum non est donum puræ liberalitatis Dei*? Miror, si ille è Magistris Vestris unus, qui propositionem condemnare initio exhorruit, vel post condemnationem potuerit illi contradicto-

dictoriæ assuescere. Pudor cohibebit vos, nè opponatis quod opponi intelligimus à quibusdam: Per vocem, PURÆ, excludi cooperationem liberi arbitrii ac meritum.

R. Nequaquam excluditur: Quia ipsa cooperatio liberi arbitrii ac meritum sunt dona puræ liberalitatis Dei: dat enim Deus purè liberaliter ipsam liberi arbitrii cooperationem ac meritum. " Tanta enim est, „ inquit Cælestinus supra citatus, erga omnes homines Dei bonitas, UT NOSTRA „ VELIT ESSE MERITA QUÆ SUNT „ IPSIUS DONA. Vox ergo, *puræ liberalitatis*, non excludit cooperationem & meritum liberi arbitrii; sed tantum excludit cooperationem & meritum liberi arbitrii quæ non sunt dona Dei: Quæ verò sunt dona Dei, nequaquam excludit. *Pura* enim *Dei liberalitas* est, ubi nihil est quod Dei donum non sit.

II.

Propositiones per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnatæ.

Deus non coronat nisi charitatem, qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit. Prop. 55.

Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat. Prop. 56.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

1. Quòd Deus non coronet nec remuneret, nisi charitatem, constat ex scripturis

ris, quæ non nisi diligentibus coronam & remunerationem promittunt.

Qui DILIGIT *me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, &* MANIFESTABO *ei me ipsum.* Joan. 14.

Oculus non vidit, nec auris audivit; nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis QUI DILIGUNT ILLUM. 1 Cor. 2.

Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex: non solum autem mihi, sed & iis qui DILIGUNT *adventum ejus.* 2 Tim. 4.

Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Deus DILIGENTIBUS SE. Jac. 1.

Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit in hoc mundo divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus DILIGENTIBUS SE? Ibid. c. 2.

2. Quòd autem *in vanum currat, qui currit ex alio impulsu & ex alio motivo quàm charitatis*, satis constat, vel ex uno hoc loco Apostoli: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam*, CHARITATEM AUTEM NON HABUERO, NIHIL MIHI PRODEST. Si enim nihil prosit; certè in vanum currit, qui currit ex alio impulsu & ex alio motivo quàm charitatis. 1 Cor. 13.

Consonat Apostolo Augustinus: " Universa INUTILITER habet, qui unum illud (charitatis donum) quo universis utatur, non habet. Tract. 9. in Evang. Joan.

" Charitas si desit, FRUSTRA habentur cætera. Serm. 83. de verb. Evang. Matt.

" Ipsa

Homil. 10. „ Ipsa (charitas) est, quæ potest sufficere, si cætera non sint. Si autem sola „ desit, NIHIL PRODEST quidquid habitum fuerit.

Aug. Ep. 163. ad Hier. c. 3. 3. Tandem quòd *sola charitas Deum honoret*, hæc probant: " Quid est pietas, „ nisi Dei cultus? & UNDE ILLE COLITUR, NISI CHARITATE?

Idem Epist. 186. alias 106. „ SOLA charitas bene operatur.

„ Charitas SOLA non peccat.

Idem Epist. 177. al. 95. „ Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur.

Idem de Grat. Christ. c. 126. His similia in Augustino & in aliis Patribus sunt innumera. Ad quæ si attendissent Magistri, numquam propositiones istas condemnassent.

§. VIII.
De Pœnitentia.

Nihil nos magis afflixit, quàm quòd post condemnata præcipua quæque Fidei Catholicæ & Moralis Christianæ quæ antè recensuimus dogmata, saluberrimam etiam de Pœnitentia, ejusque administratione doctrinam condemnaverit Vestra Facultas: ex quo immensam animarum perniciem secuturam videmus.

Docebant nos, ex sacris Litteris & SS. Patribus, Magistri nostri, neque repentinam neque facilem plerumque esse peccatoris conversionem; ideóque non quemlibet mox promiscuè absolvendum: sed eos, qui criminibus obnoxii deprehenduntur, præcipuè si versentur in occasione proximâ, vel ligentur consuetudine, sensim ad absolutionem disponi oportere, dando

do eis tempus, ut ſtatum miſerabilem peccati, in quo ſunt, expendant & ſentiant, petantque Spiritum pœnitentiæ & contritionis; ac ſimul incipiant per pœnitentiæ opera divinam juſtitiam placare, eique ſatisfacere: tum verò abſolvendos, cùm operibus ſe à peccatis averſos & ad Deum converſos probaverint.

Vidimus ipſi, dùm adhuc Lovanii degeremus, quanta morum mutatio, tum in Civibus tum in Academicis, extiterit ex Sacramento Pœnitentiæ juxta doctrinam iſtam adminiſtrato. Nemo etiam ignorat, quanto cum fructu per Belgium, ac præcipuè per Diæceſim Mechlinienſem, laboraverint Paſtores, qui doctrinâ illâ inſtituti ex Academia Lovanienſi prodierant, eamque in regendis Parochiis & Animabus dirigendis ſequebantur. Ac poſtremò nos ipſi in obeundis muniis noſtris, quæ per Belgii Provincias gerimus, experti ſumus, quantum inde animarum lucrum naſcatur.

Exhorreſcimus, cùm doctrinam iſtam ac diſciplinam adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ condemnatam videmus à Magiſtris Veſtris, à quibus ſanguinem animarum, quæ eâ occaſione perituræ ſunt, Deus requiret. Nos, quod in nobis eſt, condemnatas ab illis propoſitiones aſſeremus, & Antiquæ Facultatis Lovanienſis de Pœnitentia doctrinam vindicabimus.

I.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Modus plenus ſapientiâ, lumine, & caritate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur. Prop. 87.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

Hæc propoſitio ex ſacris Litteris, & unanimi Patrum conſenſu certa eſt.

Ezech. 13. *Væ*, inquit Ezechiel, *qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ carnis ad capiendas animas. . . . mentientes populo meo, credenti mendaciis.*

Quid eſt quæſo, *conſuere pulvillos ſub omni cubito manus*, & facere *cervicalia ſub capite univerſæ carnis*, niſi peccatores in peccatis ſuis ſecuros reddere, & efficere ut in iis conquieſcant, nec ſtatum peccati ſui cum humilitate portent aut ſentiant, nec ſpiritum pœnitentiæ aut contritionis petant, nec concutiantur timore Divinæ juſtitiæ, nec ei per pœnitentiæ opera ſatisfacere incipiant? Quem agendi cum peccatoribus modum dùm graviter reprehendit Ezechiel, commendat certè modum contrarium, qui in propoſitione exprimitur.

Eun-

Eundem commendat Jeremias, dùm eos redarguit, qui *curabant contritionem* populi *cum ignominia, dicentes, pax, pax, & non erat pax.* Quid enim est dicere, *pax, pax, ubi non est pax*; nisi jubere peccatores in pace esse, nihilque timere; & sic efficere, ut nec miserandum peccati sui statum sentiant, nec Divinam Justitiam extimescant, nedum eam per pœnitentiam placare incipiant? Jerem. c. 16.

Modum plenum sapientiâ, lumine & caritate cum peccatoribus tenuit Joannes Baptista, dum *Venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum* POENITENTIÆ *in remissionem peccatorum. . . . Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab eo: Genimina viperarum,* QUIS OSTENDIT VOBIS FUGERE A VENTURA IRA? FACITE ERGO FRUCTUS DIGNOS POENITENTIÆ, & ne *cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. . . . Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum,* EXCIDETUR ET IN IGNEM MITTETUR. Quid est *prædicare baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*? Quid dicere: *Genimina Viperarum: Quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite fructus dignos pœnitentiæ? Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur & in ignem mittetur?* Quid? Nisi dare peccatoribus tempus portandi cum humilitate & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur? Neque enim sine mora eos reconciliandos ajebat, Lucæ 3.

sed

ſed per baptiſmum pœnitentiæ *in remiſſionem peccatorum & reconciliationem præparandos.* Nam *ego quidem*, inquit, *aquâ baptizo vos: veniet autem fortior me. . . . Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.*

Ibidem.

Eundem modum cum peccatoribus ſervandum eſſe docuerunt Eccleſiæ Patres.

Tract. De Lapſis.

S. Cyprianus: " Emerſit, Fratres dilectiſſimi, novum genus cladis, & quaſi „ parum perſecutionis procella ſævierit, „ acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens & BLANDA PERNICIES. Contra Evangelii vigorem, „ contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita & falſa pax, periculoſa „ dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt SANITATIS PATIENTIAM, NEC VERAM DE SATISFACTIONE MEDICINAM. . . . „ ANTE EXPIATA DELICTA, ante „ exomologeſim factam criminis. . . . „ ANTE OFFENSAM PLACATAM „ INDIGNANTIS DOMINI ET MINANTIS, pacem putant eſſe, quam „ quidam verbis fallacibus venditant.

Tempus ergo dari peccatoribus jubebat Cyprianus, quo cum humilitate portarent & ſentirent ſtatum peccati, quo quærerent SANITATIS PATIENTIAM, ET VERAM DE SATISFACTIONE MEDICINAM; quo EXPIARENT DELICTA ET OFFENSAM INDIGNANTIS DOMINI PLACARENT, antequam reconciliarentur; alioquin falſam & irritam ſo-

fore pacem, quam quidam *verbis fallacibus venditant.*

Idem: " Quid eis, QUI FLERE JUGITER ET ROGARE DOMINUM SUUM DEBENT, INTERCEPTA POENITENTIÆ LAMENTATIONE communicare se simulant . . . Non concedit pacem facilitas ista, sed tollit. Hæc qui substrahit fratribus nostris, decipit miseros, ut qui possunt AGENTES POENITENTIAM VERAM Deo, quà Patri & misericordi, PRECIBUS ET OPERIBUS SUIS SATISFACERE, seducantur ut magis pereant, & qui erigere se possent, plus cadant." Ibidem. Ep. 16. al. 10.

Iterum ergo Cyprianus vult dari tempus peccatoribus FLENDI JUGITER ET ROGANDI DOMINUM SUUM, vetatque POENITENTIÆ LAMENTATIONEM INTERCIPI, ut possint Deo PRECIBUS ET OPERIBUS SUIS SATISFACERE, priusquam reconcilientur. Inter Epist. Cypr. Epist. 30.

Clerus Romanus: " Absit, inquit, ab Ecclesia Romanâ vigorem suum tam insanâ facilitate dimittere, & nervos severitatis eversâ fidei majestate dissolvere: ut cùm adhuc non tantum jaceant, sed & cadant aversorum fratrum ruinæ, PROPERATA NIMIS REMEDIA communicationum, utique non profutura, præstentur. . . . Ut miseris ad eversionem majorem ERIPIATUR ET POENITENTIA. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, si etiam ipse medicus INTERCEPTA POENITENTIA indulget periculis? Si tan-

„ tummodo operit vulnus, nec finit NE-
„ CESSARIA TEMPORIS REMEDIA
„ obducere cicatricem? . . . . Uno igi-
„ tur eodemque conſilio, iisdem preci-
„ bus & fletibus. . . . Divinam Majeſta-
„ tem deprecantes. . . . oremus, ut qui
„ cecidiſſe referuntur, DELICTI SUI
„ MAGNITUDINEM AGNOSCEN-
„ TES, intelligant NON MOMENTA-
„ NEAM, NEQUE PRÆPROPERAM
„ DESIDERARE MEDICINAM. . . .
„ ut INTELLECTO SUO CRIMINE
„ velint nobis interim præſtare patien-
„ tiam.

Vult ergo Eccleſia Romana tempus dari peccatoribus, quo DELICTI SUI MAGNITUDINEM AGNOSCANT, vetat ERIPI ET INTERCIPI ILLORUM POENITENTIAM, & PROPERATA NIMIS REMEDIA communicationum præſtari; NECESSARIA TEMPORIS REMEDIA poſtulat, & vult ut intelligant peccatores, NON MOMENTANEAM NEQUE PRÆPROPERAM DESIDERARE MEDICINAM.

Orat. 39. in Sancta Lumina.

Gregorius Nazianzenus: " Ne ipſe
„ quidem, inquit, eos recipio, qui vel
„ nullo modo, vel NON SATIS DE-
„ PRIMUNTUR, nec patrato crimini pa-
„ rem VITÆ EMENDATIONEM affe-
„ runt.

Quid eſt non recipere peccatores qui NON SATIS DEPRIMUNTUR, niſi *tempus eis dare portandi cum humilitate & ſentiendi ſtatum peccati*, antequam reconcilientur? Quid, poſtulare prius *parem patrato crimini vitæ emendationem*; niſi ut inci-

cipiant ad minus, antequam reconcilientur, justitiæ Dei satisfacere?

Ambrosius, " Volo, inquit, veniam L. 1. de Pœn. c. 16.
" reus speret, PETAT EAM LACHRYMIS, PETAT GEMITIBUS, PETAT POPULI TOTIUS FLETIBUS; ut ignoscatur, OBSECRET: & cùm SECUNDO ET TERTIÒ FUERIT DILATA EJUS COMMUNIO, credat remissius se supplicasse, FLETUS AUGEAT miserabilior, postea revertatur. Sic Sanctus ille Episcopus, *sapientiâ, lumine, & caritate plenus*, tempus dandum censebat peccatoribus, priusquam reconciliarentur, *portandi cum humilitate & sentiendi statum peccati, petendi, obsecrandi, fletus augendi.*

Augustinus eâdem *sapientiâ, lumine, & caritate plenus*, ab ipso Cœlesti Medico docet diu differri curationem, *ut peccator cum humilitate portet & sentiat statum peccati.* Sic enim habet ad hunc versum Psalmi 6. *Et anima mea turbata est valde, sed tu, Domine, usquequo?* " Quis non intelligat significari animam luctantem cum morbis suis; DIU AUTEM DILATAM A MEDICO, UT EI PERSUADEATUR, IN QUÆ MALA SE PECCANDO PRÆCIPITAVERIT. Quis porrò dubitet, quin is *modus* curandi peccatores, *sapientiâ, lumine, & caritate plenus sit*, qui modum supremi Medici imitatur?

Leo Magnus: " Mediator Dei & ho- Ep. 91.
" minum homo Christus Jesus, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ

 " da-

„ darent, & eosdem SALUBRI SATIS-„ FACTIONE PURGATOS ad Com-„ munionem Sacramentorum per januam „ reconciliationis admitterent. Prius postulat sanctissimus Pontifex, ut peccatores SALUBRI SATISFACTIONE PURGENTUR, quàm admittantur per Januam reconciliationis ad Communionem.

Lib. 6. in 1 Reg. c. 15. Gregorius Magnus de Samuële constanter recusante portare peccatum Saulis: „ Quid est, inquit, quòd Propheta portare „ peccatum pœnitentis Regis renuit, NISI „ QUIA HUNC NON VERE POENI-„ TENTEM VIDIT? . . . . Quâ nimi-„ rum Prophetæ constantiâ quidam nimis „ clementes hujus temporis Sacerdotes ar-„ guuntur. . . . Plerumque autem sic a-„ liena peccata suscipiat (Ecclesiæ Sacer-„ dos) ut tamen ea, quæ expianda susci-„ pit, FLERE EUM, A QUO SUNT „ COMMISSA, PERMITTAT. Dando scilicet ei tempus *portandi cum humilitate & sentiendi statum peccati*, donec *eum verè pœnitentem videat*.

Itaque, *dare animabus tempus portandi cum humilitate & sentiend statum peccati &c. antequam reconcilientur, est modus plenus sapientiâ, lumine, & caritate juxta Sanctos Patres*, Est censurâ & condemnatione dignus juxta Magistros Vestros. His, an illis potius credendum sit, animarum Directores, expendite.

II.

II.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Ignoramus, quid sit peccatum & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem. Prop. 88.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Etsi ad asserendam propositionem hanc sufficiant abundè, quæ ad proximam allegata sunt; visum tamen est hìc quædam ex Sanctis Patribus adjicere.

Cyprianus: " Quòd NON STATIM Domini Corpus INQUINATIS MANIBUS accipiat, aut ORE POLLUTO sanguinem Domini bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur. Atque ô tuam nimiam, furiose, DEMENTIAM! Irasceris ei, qui abs te avertere iram Dei nititur: Ei minaris, qui pro te misericordiam deprecatur; qui vulnus tuum sentit, QUOD IPSE NON SENTIS; qui pro te lachrymas fundit, quas forsitan ipse non fundis. &c. *Tract. de Lapsis.*

Clerus Romanus: " Maximè, inquit, illis congruit VERECUNDIA, quorum in delictis damnatur MENS INVERECUNDA. Pulsent sanè fores, sed non utique confringant. Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique transiliant.... *Epist. 30. apud Cyprianum.*

„ Multum illis proficiat petitio modesta, „ postulatio verecunda. . . . Imò SI DE-„ DECORIS ADMISSI MAGNITUDI-„ NEM PERHORRESCUNT. . . . „ ERUBESCANT ET PETERE.

Lib. 2. de pœnit. c 9. Ambrosius: " Nonnulli, inquit, ideò „ poscunt pœnitentiam, ut STATIM „ REDDI COMMUNIONEM VELINT. „ Hi non tam se solvere cupiunt, quàm „ sacerdotem ligare. Suam enim cons-„ cientiam non exuunt, sed sacerdotis in-„ duunt, cui præceptum est, *Nolite Sanc-„ tum dare canibus.*

Serm. 351. Augustinus: " Ascendat homo adver-„ sum se tribunal mentis suæ. . . . Atque „ ita constituto in corde judicio. . . . ab „ ipsa mente sententia proferatur, UT SE „ INDIGNUM HOMO JUDICET PAR-„ TICIPATIONE CORPORIS ET „ SANGUINIS DOMINI: Ut qui sepa-„ rari à regno cœlorum timet per ultimam „ sententiam summi judicis, per Ecclesia-„ sticam disciplinam A SACRAMENTO „ CÆLESTIS PANIS INTERIM SE-„ PARETUR.

Si debeat homo statim post commissum peccatum *indignum se judicare participatione Corporis & sanguinis Domini*, juxta Augustinum: Si *erubescere debeat* vel eam *petere*, juxta clerum Romanum &c. profectò *quid sit peccatum & vera pœnitentia ignorat, qui statim vult possessioni bonorum, quibus per peccatum spoliatus est, restitui, & separationis istius confusionem ferre detrectat.*

III.

III.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quòd cùm sit jam reconciliatus, habet jus assistendi sacrificiis Ecclesiæ. Prop. 89.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Infelix Facultas! quæ dum hanc propositionem condemnat, in contradictoriam illius damnatione dignissimam incauta incidit? Quisquis enim contradictoriarum alteram condemnat, alteram probat: Proindè necesse est Facultati Vestræ probari hanc; *Peccator jam reconciliatus non habet jus assistendi sacrificiis Ecclesiæ:* quam vel ipsi absque hæsitatione condemnabitis.

Pudet, credimus, lapsus tam ignominiosi: sed ad tegendam quoquo modo ignominiam diceris, non id condemnatum à Magistris Vestris, quod propositione expressum est; sed quod in mente latuit Auctoris.

R. Immò verò id quod propositione expressum est, condemnârunt; idque, ut ajunt, *purè & simpliciter.*

At taciiè insinuat propositio, peccatorem, *qui nondum reconciliatus est, non habere jus assistendi sacrificiis Ecclesiæ.*

R. Hoc non insinuat propositio; sed ex ea per conjecturam & consequentiam fortè

elicuit Veſtra Facultas, quæ tunc debebat non *pure & ſimpliciter* condemnare propoſitionem, ſed id quod ex ipſa (benè an malè) eruebat. Verùm eſto, inſinuet tacitè propoſitio, *quòd peccator nondum reconciliatus non habeat jus aſſiſtendi ſacrificiis Eccleſiæ*, creditiſne vel ſic ſalvam fore Facultatem?

R. Nequaquam. Nam ſi hodiè peccator nondum reconciliatus jus iſtud habeat; habuit etiam peccator nondum reconciliatus jus iſtud olim: ſed olim iſtud non habuit: Ergo nec habet hodie. Quòd verò olim iſtud non habuerit, conſtat ex antiqua Eccleſiæ diſciplina, quæ peccatorem nondum reconciliatum vetabat ſacrificiis Eccleſiæ aſſiſtere: Feciſſet autem illi injuriam Eccleſia, ſi jus iſtud habuiſſet Hoc de Eccleſia nefas eſt dicere: Ergo peccator non reconciliatus jus iſtud olim non habuit.

Teſtis illius Diſciplinæ eſt Chryſoſtomus Hom. 3. in Cap. 1. Epiſt. ad Epheſ. "Audis, inquit, præconem ſtantem & dicentem: *Quicumque eſtis in pœnitentia, abite.* Omnes qui non participant, ſunt in pœnitentia. . . . Quicumque qui Myſteriorum non eſt particeps, is impudenter ſtat & nimis audacter.

Porrò ſi olim peccator nondum reconciliatus jus iſtud non habuerit; ſequitur quòd nec habeat hodie.

Alia eſt, dicetis, hodie, alia olim Eccleſiæ Diſciplina. Hodie enim non permittit ſolùm Eccleſia, ut peccatores nondum reconciliati ſacrificiis Eccleſiæ aſſiſtant; ſed ut aſſiſtant, diebus ſaltem Dominicis & Feſtis, etiam mandat.

R. In-

R. Indè quidem consequens est, licitum esse hodie peccatori nondum reconciliato, ac præceptum sacrificiis Ecclesiæ assistere, sed minimè jus eum habere assistendi. Ecclesia enim non minus hodiè, quàm olim, jus habet removendi peccatorem nondum reconciliatum à Sacrificio: quàmquam expedire non judicet, ut eo jure hodiè utatur; sed potius ut permittat ac etiam jubeat, ejusmodi peccatorem assistere. Dum autem id permittit ac jubet, non jus tribuit assistendi; sed ut assistat, tolerat & indulget.

Quamcumque ergo in partem versetis, aut in quemcumque sensum torqueatis propositionem; frustra hic pro tuendo Magistrorum Vestrorum honore laborabitis.

§. IX.

De Scriptura Sacra, ejusque Lectione.

Veritates, quas asseruimus hactenus, tam disertè exprimunt Sacræ Litteræ, ut quamquam non accederet SS. Patrum de iisdem Traditio, sola Scripturarum lectio sufficeret ad earum cognitionem amoremque omnium animis instillandum. Indè fit, ut qui veritates illas condemnant, non magnopere commendent Sanctarum Scripturarum lectionem; veriti, ne quod illi condemnant, Divinâ inveniatur Auctoritate probari, ipsique condemnentur.

Asserere nolumus hoc timore plures de scripturâ sacra ejusque lectione propositiones condemnasse Magistros Vestros: sed hoc scimus, impensè nobis olim à Magi-

ſtris noſtris commendatam fuiſſe ſacrarum ſcripturarum lectionem ac meditationem aſſiduam; ut ex iis, tamquam ex ipſo fonte, purius ac uberius hauriremus veritates, quas ipſi nobis voce ac ſcripto tradebant. Ingemiſcebant ſæpius, ſacram illam lectionem tantoperè negligi à Theologis, ajebantque non aliundè tot opiniones Sacris Litteris adverſas in Scholas Theologicas irrepſiſſe, quàm quòd libris Sanctis relictis, dederint ſe plerique evolvendis recentiorum quorumdam voluminibus, ubi vix ex ſcripturâ ſacra aliquid invenias.

Deplorabant etiam Divini verbi lectionem tam raram eſſe in populo; nec dubitabant indè fieri ut tanta ſit veritatum & Myſteriorum fidei ac Religionis Chriſtianæ in fidelibus ignorantia, tantus tepor in pietate, tanta diſſolutio in moribus. Cenſebant Sacras Litteras ſcriptas eſſe omnibus, adeóque & ab omnibus paſſim legendas. Non tamen legendas eſſe totas ab omnibus; ſed cuique indè ſeligendum quod ipſius captui accommodatum ſit, & ad profectum utile. Neminem ab ea lectione arcendum, niſi quem conſtet plus indè, ob ſuam temeritatem, detrimenti, quàm utilitatis facturum. Doctrinam ipſorum, & propoſitiones à Magiſtris Veſtris condemnatas, ex ipſis Sacris Litteris, & unanimi SS. Patrum conſenſu aſſeremus.

L

I.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Lectio sacræ scripturæ est pro omnibus. Prop. 80.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Patres passim omnes omnis generis fideles, nullo ætatis, sexus, conditionis discrimine, doctos, indoctos, politos, idiotas, ad lectionem scripturarum hortati sunt: nec poterit è Patribus proferri vel unus, qui aliter senserit, ac improbaverit Evangelium & Apostolorum scripta legi, etiam ab ignorantibus & feminis. Atque idem est sensus scripturarum, ut infrà patebit. Prorsus ut haberi debeat velut dogma Ecclesiæ, utroque Testamento firmatum, & ab omnium sæculorum Patribus traditum, *Quòd lectio scripturæ sacræ sit pro omnibus.*

Neque assertionem hanc generalem evertit, quòd non omnibus omnis scripturæ lectio congruat; sed exigat prudentia, ut pro cujusque captu ac dispositione, hæc tantum ab his, ista tantum ab istis, alia legantur ab aliis. Nam prudentem illam verbi Divini dispensationem non excludit generalis ista assertio; quemadmodum hæc, *sumptio cibi est pro omnibus*, non omnis cibi sumptionem dicit esse pro omnibus; sed eam cibi dispensationem admittit, quam

prudentia postulat, ut infantes tantum lac sumant, grandiores autem cibum solidùm, & hinc rursus pro variâ dispositione alii alium.

Neque etiam dogma istud labefactat, quòd quidam sint vel adeò obtusi, vel adeò principiorum fidei ac Religionis ignari, vel dispositi tam malè, ut scripturæ sacræ lectio illis obfutura sit: quia hi tacitè ab assertione ista generali excipiuntur; quemadmodum ab hâc, *Participatio Sacramentorum est pro omnibus fidelibus*, tacitè excipiuntur qui participatione Sacramentorum indigni sunt: dùm interim generalis ista propositio ut vera ab omnibus accipitur. Nunc de scripturæ sacræ lectione scripturam ipsam & Patres audiamus.

Rom. 15. S. Paulus: *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.*

1 Thess. 5. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epistola hæc* OMNIBUS *sanctis fratribus.*

Coloss. 4. *Cum lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur; & eam quæ Laodicensium est, vos legatis.*

2 Esd. 9. *Legerunt* (filii Israël *in volumine Legis Domini Dei sui, quater in die, & quater confitebantur.*

Ep. 1. ad Cor. apud Labbæum Tom. 1. Concil. p. 151. 154. 155 — Clemens Romanus: " SCRIPTURAS
" DILIGENTER INSPICITE. . . . sumite
" Epistolam beati Pauli Apostoli.
" Nostis, dilecti, & probè nostis sacras
" scripturas.

L. 3. contra hær. c. 20. — S. Irenæus: " *Oportet.* . . . confugere
" ad Ecclesiam, & in ejus sinu educari,
" &

„ & Dominicis scripturis enutriri. Plan-
„ tata est enim Ecclesia, Paradisus in hoc
„ mundo. *Ab omni* ergo *Ligno* Paradisi
„ escas *manducabitis*, ait spiritus Dei; id
„ est, ab omni scriptura Dominica man-
„ ducate.

Origenes, " Arbitror vineam esse le- Homil. 12. in Matt.
„ gem, & Prophetas, & omnes Divinas
„ scripturas. . . . Hanc vineam tradidit
„ Colonis, id est, populo ante nos,
„ TAM SACERDOTIBUS, QUAM
„ LAICIS.

Basilius: " Scriptura omnis divinitus Proœm. in Psal.
„ inspirata & utilis hâc unâ ratione à spiri-
„ tu sancto conscripta astruitur, ut ex ea
„ haud secus atque è communi quopiam
„ curandarum animarum officina, MEDE-
„ LAM SUO QUISQUE MORBO QUE-
„ AT SELIGERE.

Ambrosius: " OMNES ædificat scrip- In ps. 48.
„ tura Divina: In eâ invenit unusquisque,
„ quo aut vulnera sua curet, aut merita
„ confirmet.

Chrysostomus: " Id semper hortor & Homil 3. de Lazar.
„ hortari non desinam, ut non hic tantum
„ attendatis iis quæ dicuntur; verum
„ etiam cum domi fueritis, ASSIDUE
„ DIVINARUM SCRIPTURARUM
„ LECTIONI VACETIS.

Hieronymus Comment. in Nahum c. 3. ad hæc verba, *Dormitaverunt Pastores tui:* " Semper diaboli studium est, vigi-
„ lantes animas consopire. . . . In ad-
„ ventu Christi & sermonis Dei, elevabi-
„ tur & properabit populus, qui sub magis-
„ tris antea fuerat consopitus, & IBIT
„ AD MONTES SCRIPTURARUM,
„ ibi-

„ ibique inveniet montes, Moyſen & Jeſum filium Nave, Montes, Prophetas; „ Montes novi Teſtamenti, Apoſtolos & „ Evangeliſtas, & cùm ad tales montes confugerit, ET IN HUJUSCEMODI „ MONTIUM FUERIT LECTIONE „ VERSATUS, ſi non invenerit qui eum „ doceat (Meſſis enim multa, Operarii autem pauci) TUNC ET ILLIUS STUDIUM COMPROBABITUR, quia confugerit ad montes, & magiſtrorum deſidia coarguetur.

De util. credi. c. 6. Auguſtinus: " Quidquid eſt, mihi crede, in Scripturis illis, altum & divinum „ eſt: ineſt omninò veritas, & reficiendis „ inſtaurandiſque animis accommodatiſſima „ diſciplina, & planè ita modificata, UT „ NEMO INDE HAURIRE NON POSSIT QUOD SIBI SATIS EST, ſi modò ad hauriendum devotè ac piè, ut vera religio poſcit, accedit.

Epiſt. 31. Gregorius: " Quid eſt autem Scriptura „ Sacra, niſi quædam Epiſtola Omnipotentis Dei ad Creaturam ſuam? . . . . Imperator Cœli, Dominus hominum & „ Angelorum, pro vita tua tibi ſuas Epiſtolas transmiſit: & tamen. . . . eaſdem „ Epiſtolas ardenter legere negligis. STUDE ERGO, QUÆSO, ET QUOTIDIE CREATORIS TUI VERBA „ MEDITARI. *Diſce cor Dei in verbis* „ *Dei.*

Serm. 24. de diverſ. Bernardus: " Si tepidus es. . . . NON „ DISCEDAS AB ELOQUIO DOMINI, & inflammabit te. . , . Quòd ſi „ tenebras ignorantiæ plangis. . . . erit lucerna pedibus tuis verbum Domini. . . . ;

„ Si

„ Si consistunt adversum te castra & prælium tentationis insurgit, ARRIPE GLADIUM SPIRITUS, QUOD EST VERBUM DEI. . . . In his atque hujusmodi PERSEVERA, IN TALIBUS JUGITER EXERCERE, donec jam dicat spiritus, ut requiescas à laboribus tuis.

Sanctus Thomas: " Scriptura communiter OMNIBUS proponitur. 1. p. 4. 1. n 9. in c.

Gregorius IX. " CUNCTIS expedit illas (Scripturas) legere, vel audire. Ep. 2. ad Germ. Const. Tom. II. Conc. p. 324.

Consentiunt ergo in hoc Patres, *Quòd lectio scripturæ Sacræ sit pro omnibus.* Proferant vel unum Magistri Vestri, qui contra sentiat: quem si proferre non possint; fateantur se dogma unanimi Patrum consensu traditum condemnasse.

II.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Utile est & necessarium omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere & cognoscere spiritum, pietatem, & Mysteria sacræ scripturæ. Prop. 79.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Non agit hæc propositio de scripturæ sacræ lectione; sed de *studio & cognitione spiritus pietatis & Mysteriorum scripturæ:* Quòd si propius observassent Magistri Vestri, fortè propositioni tam innoxiæ, imò tam

tam sanctæ, pepercissent. Quid enim est *studere & cognoscere spiritum*, *pietatem & Mysteria sacræ scripturæ*, nisi studere & cognoscere spiritum, pietatem, & Mysteria *Symboli*, *Orationis Dominicæ*, *& Decalogi*: cùm tria hæc aliud non sint, quàm quoddam sacræ scripturæ compendium? Quid enim scriptura præcipuè docet, nisi quid credere, quid sperare, quid amare oporteat? Jam autem quod credendum est, docet *Symbolum*; quod sperandum, *Oratio Dominica*; quod amandum, *Decalogus*. Undè Augustinus ad Laurentium, multa quærentem: *Hæc omnia*, inquit, *quæ requiris, procul dubio scies, diligenter sciendo, quid credi, quid sperari debeat, quid amari.*

Enchir. c. 4. HÆC ENIM MAXIME, IMÒ VERÒ SOLA IN RELIGIONE SEQUENDA SUNT.

Porrò nulli dubium est, quin *utile sit & necessarium omni tempore, omni loco, & omni Personarum generi, studere & cognoscere spiritum, pietatem & Mysteria Symboli, orationis Dominicæ, & Decalogi*: ac proindè etiam studere & cognoscere spiritum, pietatem, & Mysteria sacræ scripturæ, cujus Symbolum, Oratio Dominica, & Decalogus quoddam compendium sunt. Et hæc quidem sufficiunt ad assertionem propositionis: sed uberiora ex sacris Litteris & SS. Patribus adjicimus.

Deut. 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua:* ERUNTQUE VERBA HÆC, *quæ ego præcipio tibi hodie*, IN CORDE TUO, ET NARRABIS

BIS EA FILIIS TUIS, ET MEDITABERIS IN EIS SEDENS IN DOMO TUA, ET AMBULANS IN ITINERE, DORMIENS ATQUE CONSURGENS. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque *& movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.*

Convenientibus cunctis ex Israël. . . . leges verba legis hujus. . . TAM VIRIS QUAM MULIERIBUS, PARVULIS ET ADVENIS. . . UT AUDIENTES DISCANT *& timeant Dominum Deum Vestrum, & custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus. Filii quoque eorum, qui nunc ignorant.* Ibidem c. 31.

Scribet sibi (Rex) *Deuteronomium Legis hujus in volumine. . . . & habebit secum,* LEGETQUE ILLUD OMNIBUS DIEBUS VITÆ SUÆ. Ibidem c. 17.

Verbum Christi habitet in vobis ABUNDANTER, IN OMNI SAPIENTIA. Colos. 3.

Ad quæ Apostoli verba Chrysostomus: „ Audite, quicumque estis mundani, & „ uxori præestis & liberis, quomodo vobis maximè MANDET LEGERE „ SCRIPTURAS, & non leviter, nec temerè; SED MAGNO STUDIO AC „ DILIGENTIA. Homil. 9. in Epist. ad Coloss.

Origenes: " Optamus ut vel his auditis operam detis, non solùm in Ecclesia „ audire verbum Dei; sed & in domibus „ vestris EXERCERI, ET MEDITARI „ IN LEGE DOMINI DIE AC NOCTE. „ Propterea namque mandatur in lege, ut „ meditemur eam cùm imus in via, & „ cùm sedemus in domo, & jacemus in „ cubili, & cùm exurgimus. Homil. 9. in Levit.

Ba-

In Reg. Brev. Interr. 95. Basilius: " Quæ ad usum pertinentia
„ sunt, ea UT UNUSQUISQUE EX
„ DIVINIS LITTERIS ADDISCAT,
„ ET RECTUM EST ET NECESSARIUM, cùm ad majorem animi expletionem in pietate, tum etiam ut ne humanis constitutionibus assuescat.

In Ps. 118. Serm. 12. Ambrosius: " Sit nobis TOTA DIE
„ AC NOCTE exercitii usus in quadam
„ scripturarum cœlestium palestra &c.

De vera Relig. c. 51. Augustinus: " DIVINARUM SCRIPTURARUM CONSIDERATIONE
„ ET TRACTATIONE pascamus
„ animum. . . . Hoc verè liberali & ingenuo ludo salubriter erudiamur.

Hom. 3. de Lazaro. Chrysostomus: " Quid ais homo? Non
„ est tui negotii scripturas evolvere, quoniam innumeris curis distraheris? Imo
„ tuum magis est, quàm illorum (qui mundo dixerunt vale). . . . Nam monachi
„ quidem. . . . velut in portu sedentes,
„ rebus vehementer tutis fruuntur. Nos
„ contra velut in medio mari fluctuantes. . . . SEMPER OPUS HABEMUS
„ PERPETUO JUGIQUE SCRIPTURARUM SOLATIO.

In Ezech. lib 2. Homil. Gregorius: " STUDETE, quæso,
„ fratres carissimi, DEI VERBA MEDITARI; nolite despicere scripta nostri
„ Redemptoris, quæ ad nos missa sunt.

Sess. 24. c. 7. de Reform. Eadem est Concilii Tridentini doctrina,
„ Curabunt (Episcopi) ut inter Missarum
„ solemnia aut Divinorum celebrationem,
„ SACRA ELOQUIA & salutis monita
„ eâdem vernaculâ linguâ singulis diebus
„ festis, vel solemnibus EXPLANENT,
„ EADEMQUE IN OMNIUM CORDIBUS,

„ BUS, postpositis inutilibus quæstionibus,
„ INSERERE, ATQUE EOS IN LEGE
„ DOMINI ERUDIRE STUDEANT.

Si mandet Synodus Episcopis & Pastoribus, ut SACRA ELOQUIA EXPLANENT, EADEMQUE IN OMNIUM CORDIBUS INSERERE, ATQUE EOS IN LEGE DOMINI ERUDIRE STUDEANT; mandat certè etiam omnibus, ut sacra eloquia explanari audiant, eademque studeant cordibus suis inserere, & in lege Domini sese erudire. Hoc verò quid aliud est, quàm mandare tanquam *utile ac necessarium, ut studeant & cognoscant spiritum, pietatem, & Mysteria sacræ scripturæ*? Sanè nisi aliud esse doceant Magistri Vestri; Synodum Tridentinam se unà cum SS. Patribus condemnasse intelligant.

III.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Obscuritas sancta verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione. Prop. 81.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Mirum hanc à Magistris Vestris condemnari propositionem, quam SS. Patres tam disertè affirmant; & sacræ Litteræ non obscurè commendant.

Eunuchus. . . . venerat adorare in Jerusalem, & revertebatur sedens super currum suum, Actor. 8.

ſuum, legensque Iſaiam Prophetam. . . . Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Iſaiam, & dixit: Putasne, intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi? Rogavitque Philippum ut aſcenderet & ſederet ſecum... Aperiens autem Philippus os ſuum. . . . evangelizavit illi Jeſum.

Quanta ex lectione ſcripturæ ſacræ, etiam obſcuræ, utilitas! Piè illam legit, etſi non intelligat, Eunuchus: Pium ipſius ſtudium reſpicit Deus, mittitque illi Philippum. A Philippo rogatus, an intelligat quæ legit? humiliter fatetur ſe intelligere non poſſe, niſi aliquis ipſi oſtenderit. Rogat Philippum ut aſcendat: Philippus evangelizat ipſi Chriſtum, eumque baptizat. Quantum abeſt, ut à lectione ſcripturarum propter obſcuritatem illum prohibeat!

2 Pet. 1. Laudat S. Petrus, etiam Laïcos, ad quos ſcribit, quòd attendant Prophetico ſermoni, etſi obſcurus ſit; tantumque abeſt, ut propter obſcuritatem ab eo legendo ipſos excuſet, ut contra ad legendum hortetur: *Habemus*, inquit, *firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.*

Pſ. 118. *Beati*, inquit Propheta, *qui ſcrutantur teſtimonia ejus.* Non clara tantùm & perſpicua, ſed etiam obſcura, quæ propriè ſcrutari dicimur. Beati autem, non tantum Clerici, ſed & Laïci: ſi beati; non eſt ratio ſeipſos diſpenſandi ab eorum lectione. Clemens Romanus, B. Petri Diſcipulus, non ignorabat ab eo ſcriptum, *In Pauli Epiſtolis eſſe quædam difficilia intellectu*, adeóque obſcura: Et tamen Corinthios om-

omnes, etiam laïcos, ad quos scribit, hortatur, ut eas in manus sumant & legant: " Scripturas, inquit, diligenter inspicite. . . . sumite EPISTOLAM BEATI PAULI APOSTOLI. Nostis, dilecti, & probè nostis sacras scripturas, & penitus in Divina Eloquia introspexistis: illa igitur mente & memoriâ recolite.

Vide Tom. I. Concil. Labb. p. 151. 154. 155.

Chrysostomus eos qui propter obscuritatem à lectione scripturarum sese excusabant, validis rationibus confutat: " Quid igitur, inquiunt, si non intelligamus ea quæ continentur libris? Respondet primum: " Etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia.

Hom. 3. de Lazaro.

Respondet deinde: " Quamquam fieri non potest, ut omnia ex æquo ignores: propterea siquidem Spiritus gratia dispensavit illa, temperavitque, quo publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores, & Apostoli, idiotæ, illitterati per hos libros salvi fierent, NE QUIS IDIOTARUM AD HANC DIFFICULTATIS CONFUGERE POSSIT EXCUSATIONEM, ut omnibus facilia conspectu essent ea quæ dicuntur, ut & opifex, & famulus, & vidua mulier, & omnium hominum indoctissimus ex auditâ lectione aliquid lucri utilitatisque reportaret. . . . Cui enim non sunt manifesta quæcumque in Evangelio scripta sunt? Quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundicordes, cæteraque hujusmodi, desiderabit præceptorem, ut aliquid eorum

" dis-

„ diſcat quæ dicuntur? Quin etiam ſigna,
„ miracula, hiſtoriæ, nonnè cuivis nota
„ manifeſtaque ſunt? PRÆTEXTUS
„ ISTE EST, ET CAUSATIO, PI-
„ GRITIÆQUE VELAMENTIM.

Reſpondet tertiò: " Sume librum in
„ manus, lege hiſtoriam omnem, & quæ
„ nota ſunt, memoriâ tenens, ea quæ obſ-
„ cura ſunt, parumque manifeſta, fre-
„ quenter percurre. Quòd ſi non poteris
„ aſſiduitate lectionis invenire quod dici-
„ tur, accede ad ſapientiorem, vade ad
„ doctorem, communica cum his ea quæ
„ ſcripta ſunt, declara vehemens ſtudium.
„ Etſi viderit te Deus tantam animi promp-
„ titudinem adhibere, non deſpiciet tuam
„ vigilantiam ac ſollicitudinem. Verùm
„ etiamſi nullus homo te docuerit quod
„ quæris, ipſe ſine dubio reſerabit.

Reſponſum hoc confirmat exemplo:
„ Memento, inquit, Eunuchi reginæ Æ-
„ thiopum. . . . Nam ut ſcias, quòd non
„ intellexerit quæ legebat, audi quid dicit
„ Philippus: *Num intelligis quæ legis*? At-
„ que ille his auditis non pudefactus eſt,
„ nec erubuit, ſed inſcitiam ſuam confeſ-
„ ſus eſt, atque: *Quinam poſſum, niſi quis*
„ *mihi viæ dux fuerit*? Cùm nondum ha-
„ beret qui viam commonſtraret, tamen
„ legebat, eóque citò conſecutus eſt duc-
„ torem. Novit propenſam illius animam
„ Deus, ſtudiumque amplexus eſt, miſit
„ illi doctorem illicò. Sic Chryſoſtomus
refellit prætextum eorum, qui ſe dicunt
propter obſcuritatem ſcripturam non le-
gere.

Chryſoſtomo conſentit Auguſtinus, qui
etſi

etsi obscuritatem scripturæ non neget, omnes ad ejus lectionem invitat: " Modus ipse dicendi, ait, quo sancta scriptura contexitur, quàm OMNIBUS ACCESSIBILIS, quamvis paucissimis penetrabilis. Ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris, sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea verò QUÆ IN MYSTERIIS OCCULTAT, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad divitem; sed INVITAT OMNES humili sermone, quos non solùm manifestâ pascat, sed etiam SECRETA EXERCEAT VERITATE, hoc in promptis quod in reconditis habens &c. Quidquid est, mihi crede, in scripturis illis, altum & divinum est: inest omninò veritas, & reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina, ET PLANE ITA MODIFICATA, UT NEMO INDE HAURIRE NON POSSIT, QUOD SIBI SATIS EST, si modò ad hauriendum devotè ac piè accesserit.

Epist. ad Volus. nunc 137.

De util. cred. c. 6.

Post Augustinum Gregorius: " Divinus sermo, inquit, sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet. Habet in publico, unde parvulos nutriat: servat in secreto, unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluvius, ut ita dixerim, PLANUS ET ALTUS, IN QUO ET AGNUS AMBULET, ET ELEPHAS NATET.

Epist. ad Leand. præfixâ Libris illius moralibus in Job. c. 4.

Itaque, si SS. Patribus credimus, propter obscuritatem à lectione verbi Dei non so-

lùm abſtinendum non eſt, ſed ipſa etiam obſcuritas legentibus *eſt* utilis; proindè juxta Patres condemnandi Magiſtri Veſtri, qui propoſitionem hìc aſſertam condemnârunt.

IV.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia ſanctarum ſcripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere. Prop. 82.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

Diem Sabbathi à Judæis ſanctificari debuiſſe lectione ſanctarum ſcripturarum, ipſa ſcriptura teſtis eſt. *Venerunt Antiochiam Piſidiæ, & ingreſſi Synagogam* DIE SABBATHORUM, *ſederunt. Poſt* LECTIONEM AUTEM LEGIS ET PROPHETARUM *miſerunt Principes Synagogæ ad eos.* Et ibidem; *voces Prophetarum quæ* PER OMNE SABBATHUM LEGUNTUR. Et cap. 15. *Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis,* UBI PER OMNE SABBATHUM LEGITUR.

Act. 13.

Quantò igitur magis lectionibus iis præſertim ſacrarum ſcripturarum, Dies Dominicus ſanctificari debet à Chriſtianis?

Atque hunc eſſe Eccleſiæ ſenſum ac ſpi-

ſpiritum, Patres, Synodus Tridentina, & ipſe Eccleſiæ uſus teſtantur.

Juſtinus: " SOLIS, qui dicitur, DIE, Apol. 2. ſub finem.
„ omnium, qui vel in oppidis vel ruri de-
„ gunt, in eundem locum conventus fit:
„ & COMMENTARIA APOSTOLO-
„ RUM AUT SCRIPTA PROPHETA-
„ RUM, quoad tempus fert, LEGUN-
„ TUR.

Tertullianus: " Coïmus ad LITTE- In Apol. c. 39.
„ RARUM DIVINARUM COMME-
„ MORATIONEM.... Certè fidem ſan-
„ ctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus,
„ fiduciam figimus, diſciplinam præcepto-
„ rum nihilominus inculcationibus denſa-
„ mus.

Ambroſius: " Quid igitur? Dies feſtos De fide Reſurr. n. 108.
„ in potu & in epulis æſtimabimus? ....
„ Nemo poteſt, NISI DIVINI HAU-
„ RIAT PROMISSA SERMONIS &
„ reſultantibus credat oraculis, exultare
„ lætitiâ, dies feſtos aut neomenias agere.

Cæſarius Arelatenſis: " Si toto die Hom. 12.
„ Dominico *lectioni inſiſtere* & Deum ſup-
„ plicare negligimus, NON LEVITER
„ PECCAMUS. Porro Cæſarium loqui
de lectione ſcripturarum patet ex his
quæ paulò ſuprà leguntur: " Lectiones
„ ſive *Propheticas*, ſive *Apoſtolicas*, ſive
„ *Evangelicas* etiam in domibus veſtris aut
„ ipſi legere, aut alios legentes audire
„ poteſtis.

Nicolaus I. " Sciendum eſt, quoniam In Reſp. ad Quæſita Bulgar. Tom. 8. Conc. p. 522. n. 11.
„ idcircò in diebus feſtis ab opere munda-
„ no ceſſandum eſt, ut liberiùs ad Eccle-
„ ſiam ire, pſalmis & canticis ſpirituali-
„ bus inſiſtere, orationi vacare, oblationes

 „ of-

„ offerre, memoriis ſanctorum communi-
„ care, ad imitationem eorum aſſurgere,
„ ELOQUIIS DIVINIS INTENDERE,
„ eleëmoſynas indigentibus miniſtrare va-
„ leat CHRISTIANUS.

Præiverat Nicolao I. Concilium Quiniſextum, ſeu Synodus Trullana, quæ ſic ſtatuit Canone 66. " A Sancta Chriſti Dei
„ noſtri reſurrectione uſque ad novum Do-
„ minicum, tota ſeptimana in ſanctis ec-
„ cleſiis vacare fideles jugiter OPORTET
„ Pſalmis & hymnis & ſpiritualibus can-
„ ticis, in Chriſto gaudentes, feſtumque
„ celebrantes, & *divinarum ſcripturarum*
„ *lectioni mentem adhibentes*, & ſanctis
„ myſteriis jucundè & lautè fruentes.

Synodus Tridentina mandat Epiſcopis, ut curent, " SALTEM OMNIBUS DO-
„ MINICIS & ſolemnibus diebus feſtis....
„ SACRAS SCRIPTURAS DIVI-
„ NAMQUE LEGEM annuntiari. Et ad-
dit: " Teneri unumquemque ſuæ Paro-
„ chiæ intereſſe. . . . AD AUDIENDUM
„ VERBUM DEI..

Seſſ. 24. de Reform. cap. 4.

Et quid, quod etiam uſus hodiernus eam eſſe Eccleſiæ mentem declaret, ut dies Dominicus à Chriſtianis lectione ſcripturarum ſanctificetur? Uſus enim hodiedum ubique obtinet, ut Parochi & Concionatores diebus Dominicis Concioni ſuæ præmittant lectionem Evangelii Dominicæ, etiam tunc, cùm de Evangelio vix ſermonem faciunt: quod; conſtanter & tam generaliter non obſervaretur per Eccleſiam, ſi mens Eccleſiæ non eſſet ut dies Dominicus per ſanctarum ſcripturarum lectionem ſanctificetur.

Di-

Dicetis, eâ parte non damnari à Magistris Vestris propositionem, sed quâ asserit, *Damnosum esse, velle Christianum ab hac lectione retrahere.*

R. Si hâc parte effugium tentent Magistri Vestri, turpiùs labuntur. Cùm enim Veritas Catholica sit, Lectionem scripturarum utilem esse Christiano; dubitari nequaquam potest, quin damnosum sit velle Christianum ab ea retrahere.

Porrò lectionem scripturarum Christiano utilem esse, patet tum ex iis, quæ hoc §. ante ex scripturis & Patribus allegata sunt, tum ex iis quæ hic subjungimus.

Omnis scriptura divinitùs inspirata UTILIS *est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Atqui retrahere Christianum à re tam utili, damnosum est: Ergo. 2 Tim. 3.

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Atqui damnosum est retrahere christianum à lectione eorum quæ ad doctrinam ipsius & consolationem scripta sunt: Ergo. Rom. 15.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, ait Propheta, *& lumen semitis meis.* Atqui damnosum est eripere christiano lucernam & lumen: Ergo. Ps. 118.

Assumite. . . . gladium spiritûs, inquit Apostolus, *quod est verbum Dei.* Atqui damnosum est eripere gladium illi, cui colluctatio est adversùs hostem: Ergo. Eph. 6.

Origenes: " Nutrimenta spiritûs sunt, „ DIVINA LECTIO. Atqui damnosum „ est Hom. 9. in Levit.

„ est, retrahere christianum à nutrimentis „ spiritus: Ergo.

Procem. in Psalmos. Basilius : " Scriptura omnis divinitus „ inspirata, & utilis hâc unâ ratione à spiritu „ sancto conscripta astruitur, ut ex ea „ haud secus atque è communi quâpiam „ curandarum animarum officina medelam „ suo quisque morbo queat seligere. Atqui retrahere Christianum *à curandarum animarum officina, è quâ medelam suo morbo queat seligere*, damnosum est: Ergo:

In titul. Psal. 37. Ambrosius: " Medicinæ hominis prospiciens „ Deus. . . . præceptis salutaribus „ replevit divinarum seriem scripturarum, „ quibus infirmitas animæ sanaretur. Atqui damnosum est retrahere Christianum à præceptis salutaribus, quibus infirmitas animæ sanetur: Ergo.

Homil. 3. de Lazaro. Chrysostomus : " Magna adversus peccatum „ munitio est, scripturarum lectio. Atqui damnosum est retrahere christianum à magna adversus peccatum munitione: Ergo.

Homil. 2. in Matt. Juxta eundem, scriptura *thesaurus* est, undè *divitias acquiramus*. Atqui damnosum est Christianum à thesauro, undè divitias acquirat, retrahere: Ergo.

Fortius ibidem Chrysostomus, " Hæc, „ inquit, DIABOLICÆ INSPIRATIONIS „ sunt, non sustinentis nos aspicere „ thesaurum, ne divitias acquiramus.

De util. credendi cap 6. Juxta Augustinum, " planè ita modificata „ est (scriptura) ut nemo indè hauri- „ re non possit, quod sibi satis est. Atqui damnosum est retrahere christianum ab eo, undè haurire possit quod sibi satis est: Ergo

Gre-

Gregorius: " Multum valdè est, quòd In Ezech.
" per ea (Dei verba) animus refricatur ad L. 2. Hom.
" calorem, nè iniquitatis suæ frigore tepes- 3.
" cat. Atqui damnosum est retrahere christianum ab eo per quod animus refricatur ad calorem: Ergo.

Bernardus: " Licèt mortuus in pecca- Serm. 24.
" to, si audieris vocem filii Dei, vives. de diversis.
" Sermo enim quem loquitur, *spiritus &* cui titulus, De
" *vita est.* Si cor tuum induratum est,... multiplici
" *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea...* utilitate
" Si tepidus es.... inflammabit te, quia verbi Dei.
" *eloquium* ejus *ignitum est valdè.* Quod
" si tenebras plangis... erit *lucerna pedibus* tuis verbum Domini, & *lumen semitis* tuis. Si consistant adversum te castra,... arripe *gladium spiritus, quod est verbum Dei*, & in eo facile triumphabis. Atqui damnosum est christianum à multiplici utilitate retrahere: Ergo.

Author Imit. Christi, " Habebo libros L. 4. c. 1.
" sanctos pro solatio & vitæ speculo. Atqui retrahere christianum à solatio suo & vitæ speculo, damnosum est: Ergo.

Utramlibet igitur propositionis partem damnent Magistri Vestri, ipsi à scriptura sacra & SS. Patribus damnantur.

V.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Est illusio sibi persuadere, quòd notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari feminis, lectione sacrorum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex su-

verba virorum scientiâ, ortus est scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses. Prop. 83.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Notitiam Mysteriorum Religionis, non viris solùm, sed etiam mulieribus, lectione sacrorum librorum communicavit Esdras sacerdos 2 Esdr. cap. 8. *Attulit Esdras sacerdos legem coram* MULTITUDINE VIRORUM ET MULIERUM. . . . *&* LEGIT *in eo apertè. . . . de manè usque in mediam diem in conspectu* VIRORUM AC MULIERUM.

In veteri ergo Testamento notitia Mysteriorum Religionis communicabatur mulieribus, sacrorum librorum lectione.

In novo eam mulieribus communicavit ipse salvator in Evangelio, ut patet Joan. 4. ubi tantam Mysteriorum Religionis cognitionem communicavit Mulieri Samaritanæ, ut non solùm ipsa in Christum crederet, sed & aliis Christum annuntiaret. " Postquam audivit hoc, *Ego sum qui loquor tecum*, inquit Augustinus, jam ultra quid diceret? Quando Christus Dominus MANIFESTARE SE VOLUIT MULIERI, cui dixerat, *Crede mihi*, quid faceret, nisi hydriam suam dimitteret, & evangelizare curreret. . . . ut nuntiaret Christum? Ipsâ autem Christum nuntiante, crediderunt Samaritani, & fidem suam professi : *Scimus*, inquiunt, *quia hic verè est salvator mundi.*

Tract. 15. In Joan.

Et quibus, post sanctissimam virginem & Apostolos, notitiam Mysteriorum Religionis

nis uberiùs communicavit, quàm Mariæ & Marthæ Luc. 10. Ubi Maria *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*. Et Joan. 11. Ubi Marthæ dixit Jesus: *Ego sum resurrectio & vita.*

Ac rursus post resurrectionem suam, quibus primùm apparuit nisi mulieribus, ut Mysterium resurrectionis suæ ipsis communicaret, & per ipsas illud nuntiaret Discipulis? Nam *surgens manè primâ Sabbathi* APPARUIT PRIMÒ MARIÆ MAGDALENÆ. . . . *Illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant.* Marci 16. Apparuit etiam aliis mulieribus, & *occurrit illis dicens: Avete. . . . Ite, nuntiate fratribus meis. Erant* Matth. 28. *autem* MARIA MAGDALENE, ET JOANNA, ET MARIA JACOBI, ET Luc. 24. CÆTERÆ *quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.*

Postremò, numquid notitiam Mysteriorum Religionis communicavit tam feminis quàm viris, prædicando indiscriminatim omnibus Evangelium? Numquid præ viris notitiam illam communicare videtur cuidam mulieri quæ *extollens vocem dicit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti?* Luc. 11.

Christi exemplum secuti sunt Apostoli, qui sine discrimine sexus notitiam Mysteriorum Religionis per orbem universum communicarunt omnibus; eamque tam mulieres quàm viri acceperunt.

Altercabimini more Scholæ, quòd eam notitiam non acceperint *lectione Sacrorum Librorum*, sed verbi Dei auditione. R. Digna vobis cavillatio! Quasi mulieribus liceat notitiam Mysteriorum Religio-

nis accipere *verbi Dei auditione*, non *verbi Dei lectione*. Quid quæſo intereſt, an verbum Dei legatur, an audiatur? Ideò enim legitur & auditur, ut memoriæ mandetur, mente intelligatur, & cordi imprimatur; memoriæ autem mandatum, mente intellectum, cordi impreſſum, velut jam in animo ſcriptum ſæpius relegatur. Si autem mulieribus legere illud liceat ſcriptum in animo; quidni & ſcriptum in libris ſacris? Imò verò, quidni & legere debeant in libris ſacris, ut poſſint illud animo inſcribere, dùm ex auditione mandare memoriæ ſatis non poſſunt?

Porrò à tempore Chriſti & Apoſtolorum in hunc uſque diem per Eccleſiam univerſam, notitiam Myſteriorum, tam feminis, quàm viris, verbi Dei prædicatione communicârunt Paſtores, eamque mulieres perindè ac viri, auditione acceperunt: Quòd autem ſemper ac generaliter in Eccleſia cuſtoditum eſt, id cenſeri debet traditum. Ut proindè traditioni adverſaretur qui diceret, non debere feminis à Paſtoribus notitiam Myſteriorum Religionis communicari verbi Dei prædicatione, aut non debere feminas eorum notitiam verbi Dei auditione accipere. Quæ autem de auditione, eadem de lectione eſt ratio.

Traditionis iſtius teſtes ſunt hiſtoriæ Eccleſiæ & Patres.

Origenes, teſte Euſebio, tam mulieres, quàm viros ſacras litteras, & in iis Religionis Myſteria docebat.

Idem Euſebius lib. de Martyr. Paleſtinæ c. 8. Plures feminas Chriſtianas civitatis Bazæ à perſecutoribus deprehenſas fuiſſe refert, dum ad legendum ſacros libros conve-

venerant, & martyrio post crudelissima tormenta affectas.

Acta primorum Martyrum edita Amstelodami à D. Theodoro Ruinart Anno 1713. p. 392. & seq. plures feminas passas fuisse narrant in persecutione contra libros sacros speciatim excitata, & inter illas *Irenen* à judice interrogatam respondisse : " Molestissimum sibi aliisque fuisse, quod sacrorum librorum lectioni vacare non potuissent die ac nocte, ut ab initio consueverant usque ad annum ultimum, cùm propter imperatorum Edictum coactæ fuerant libros illos abscondere. Atque ob hanc confessionem viva combusta fuit in quodam colle, ubi duæ ex ipsius sororibus idem supplicium eâdem de causâ subierant. Edit. Pariss. p. 424.

Acta Martyrii S. Cæciliæ habent, quòd *virgo gloriosa semper Evangelium gerebat in pectore suo :* Et quamquàm Acta illa suspecta sint, hoc tamen ex iis patet, quòd qui illa fabricârunt, existimaverint virginum esse, Evangelium semper gerere in pectore, & illius se lectione nutrire.

Ambrosius sororem suam Marcellinam alloquens : " Si quando, inquit, rogaris ut cibum sumas, paulisper deponas codicem, respondes illico : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.* Eandemque hortatur ibidem cap. 3. n. 11. Ut lectioni librorum sacrorum attentam se præbeat in Ecclesia, nè quod verbum ipsam effugiat. Libro 1. de Virginib. cap. 4. n. 15.

Idem in Exhort. ad Virgines. c. 9. n. 56. " Quœrite Dominum Jesum, qui nos monet ut quæramus regnum Dei. . . .

 In

" In regno merces, in Christo remuneran-
" di potestas. QUÆRITE ILLAM IN
" SCRIPTURIS DIVINIS, ibi Christus
" invenitur.

Tract. 1. in Psalm. c. 3.

Gregorius Nyssenus: " Tam facilem,
" inquit, captu effecit (Spiritus Sanctus)
" psalmorum doctrinam, ut non modò
" viri perfecti, & quibus jam animi sensa
" perpurgata sunt, eruditionem hanc asse-
" quantur; sed ut eandem & MULIERES
" sibi tanquam propriam vindicent.

Epist. nunc 19. olim 7. ad Lætam.

Hieronymus: " Pro gemmis & serico,
" inquit, Divinos Codices amet (Paula)...
" Discat primò *Psalterium*, his se canti-
" cis avocet, & in *Proverbiis Salomonis* eru-
" diatur ad vitam. In *Ecclesiaste* consues-
" cat, quæ mundi sunt, calcare. In *Job*
" virtutis & patientiæ exempla sectetur. Ad
" *Evangelia* transeat, numquam ea positu-
" ra de manibus. Apostolorum *Acta* &
" *Epistolas* totâ cordis imbibat voluntate.
" Cumque pectoris cellarium his opibus
" locupletaverit, mandet memoriæ *Pro-*
" *phetas*, *Heptateuchum*, & *Regum* & *Pa-*
" *ralipomenon* Libros, *Esdræ* quoque &
" *Esther* volumina. Ad ultimum, sine pe-
" riculo discat *Canticum Canticorum*.

Epist. 8. nunc 22. ad Demetriad. Virg.

Idem: " Statue, inquit, quot horis
" sanctam scripturam ediscere debeas,
" quanto tempore legere &c.

Epist. 10. nunc 23.

Idem. " De scripturis sanctis habeto
" fixum versuum numerum: istud pensum
" Domino tuo redde &c.

Idem Epist. 98. nunc 12. de Pacatæ Infantulæ educatione ad Gaudentium: " Cùm, inquit, virgunculam septimus " ætatis annus exceperit. . . . discat me-
" mo-

„ moriter *Psalterium*, & usque ad annos
„ pubertatis *libros Salomonis*, *Evangelia*,
„ *Apostolos*, & *Prophetas* sui cordis the-
„ saurum faciat.

Eundem legite in *Epitaphio Fabiolæ*, *Marcellæ*, *Paulæ*, quas ob assiduum scripturarum studium, ardorem incredibilem, eximiamque in iis eruditionem mirè commendat.

Itaque & infantulas, & puellulas, & virgines, & viduas, & mulieres junctas matrimonio, ad lectionem & studium Scripturarum hortatur Hieronymus.

Quare *illusio est sibi persuadere, quòd notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari feminis, lectione sacrorum librorum:* nisi fortè dicant Magistri Vestri, feminis illusum fuisse à SS. Patribus.

Posterior propositionis pars non nisi *Factum*, ut ajunt, continet, quod Historia Ecclesiastica notius ac certius est, quàm ut asseri debeat, aut voluerint Magistri Vestri negare.

VI.

Propositiones per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnatæ.

Abripere è christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. Prop. 84.

Interdicere christianis lectionem sacræ scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut pa-

patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis. Prop. 85.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſertæ.

Serm. 85. aliàs 205. de temp. 1. *Os Chriſti* Evangelium vocat Auguſtinus: " Os Christi, inquit, Evan-„ gelium eſt. In cœlo ſedet, ſed in terra „ loqui non ceſſat. Si os Chriſti Evangelium ſit, os Chriſti chriſtianis obturat, qui ex ipſorum manibus illud abripit.

Gregorius Epiſtolam Dei ad nos, ſcripturam appellat: " Quid eſt, inquit, ſcrip-„ tura ſacra, niſi quædam Epiſtola Omni-„ potentis Dei ad creaturam ſuam? Atqui Epiſtola eſt veluti *os*, quo abſens loquitur abſenti: Ergo os Chriſti obturat, qui ſcripturam, ſeu Epiſtolam ipſius ad nos, è chriſtianorum manibus abripit.

2. Scriptura ſacra, ac præcipuè Evangelium, *lumen* eſt, teſte Propheta qui ait: Pſ. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Chriſtiani autem, teſte Eph. 5. Apoſtolo, *ſunt filii Lucis:* Ergo *interdicere Chriſtianis lectionem ſacræ ſcripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis.*

3. Eſt etiam *facere ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis.* Quid enim eſt communio Eccleſiæ, & communio ſanctorum, ſi exteriora ſpectentur; niſi participatio bonorum communium Eccleſiæ? Jam autem inter bona communia Eccleſiæ magnum eſt, & magnopere neceſſarium, verbum Dei: proindè commune hoc bonum Chriſtiano interdicere, facere eſt ut ſpeciem

ciem quamdam excommunicationis patiatur.

Hæc pauca satis ad binas istas propositiones asserendas; cùm easdem etiam asserant propè omnia, quæ hoc §. de scripturæ sacræ lectione & usu sat fusè dicta sunt.

§. X.
De Abusibus in Ecclesia.

Parum fuisse videtur Magistris Vestris, condemnasse propositiones, quibus Ecclesiæ fides, Religio, mores, pietas, disciplina asseritur; nisi etiam condemnarent propositiones, quibus abusus, qui in Ecclesia sunt, corriguntur. Abusus est, quòd in Ecclesia exerceatur dominatus supra fidem fidelium; & propter res, quæ nec fidem nec mores lædunt, dissensiones foveantur: Abusus est, quòd in Ecclesia Christus & veritates christianæ tam parum christianè ac Apostolicè prædicentur: Abusus est, quòd in Ecclesia, qui præsunt, nimis creduli sint, & re non satis examinatâ, ex levi suspicione, rumore, præjudicio, aut temerarii cujuspiam vel maligni Accusatoris delatione, sententiam ferant: Abusus est, quòd in Ecclesia multiplicentur & communia fiant juramenta: & tamen propositiones quatuor, quibus abusus isti notantur, condemnant magistri vestri, ipsosque abusus vel tacitè probant, vel detegendos non esse, (nec proindè corrigendos) significant.

Aliter sanè Ecclesiæ Patres, qui grassantes in Ecclesia abusus detexerunt seduli, & corrigere studuerunt: aliter Ecclesiæ Concilia, quæ non solùm ad fidem moresque con-

conſervandos, ſed etiam ad extirpandos, qui in Eccleſiam irrepſerant, abuſus, ut patet in Tridentino, celebrata ſunt: aliter ſummi Pontifices, è quibus Paulus III. cœtum inſtituit quatuor Cardinalium & quinque Præſulum, quibus mandabat, ut colligerent eique exhiberent abuſus, quibus jam pridem Eccleſia Dei, ac præcipuè Romana curia laborabat: qui & Pontificis mandatum executi, abuſus graviſſimos, & ſuum de iis emendandis conſilium, ſuæ ſanctitati exhibuerunt anno 1538. Et antè Paulum III. Adrianus VI. abominandos in ipſa ſancta ſede & Curia Romana abuſus confeſſus eſt in Epiſtola, quam ſcripſit die 25. Novembris anno 1522. Pontificatus ſui primo, ad Principes Nationis Germanicæ, in Diæta Nuribergenſi congregatos: quibus inter alia per Franciſcum Cheregatum, Nuntium Apoſtolicum in Germania, hæc à ſe dici juſſit: " Scimus IN HAC „ SANCTA SEDE aliquot jam annis „ ABOMINANDA fuiſſe: ABUSUS in „ ſpiritualibus, EXCESSUS in mandatis, „ & OMNIA denique in perverſum muta- „ ta. . . OMNES NOS, id eſt, Prælati „ Eccleſiaſtici, declinavimus unusquiſque „ in vias ſuas. . . . Quâ in re quoad nos „ attinet, polliceberis nos omnem operam „ adhibituros, ut primum CURIA HÆC, „ UNDE FORTE OMNE HOC MA- „ LUM PROCESSIT, REFORME- „ TUR: ut ſicut indè corruptio in omnes „ inferiores emanavit, ita etiam ab eadem „ ſanitas & reformatio omnium emanet.

Horum veſtigia ſecuti Magiſtri noſtri, ſæpiſſimè nos de abuſibus qui in Eccleſia

ſunt,

sunt, admonebant; dicebantque monendum populum ne illos pro Ecclesiæ usibus acciperet. Monitis illorum obtemperabimus, & propositiones quatuor *de Abusibus*, quas condemnârunt Magistri Vestri, asseremus.

I.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt nec mores. Prop. 94.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

1. Quòd dominatus sæpè exerceatur in Ecclesia supra fidem fidelium, Scripturæ, Patres, & experimentum testantur.

Ezechiel: *Væ Pastoribus Israël, qui pascunt semetipsos. . . . Quod perierat non quæsistis:* SED CUM AUSTERITATE IMPERABATIS EIS ET CUM POTENTIA. Cap. 34.

Christus: *Scitis, quia Principes Gentium* DOMINANTUR *eorum, & qui majores sunt,* POTESTATEM EXERCENT *in eos.* NON ITA ERIT INTER VOS. Math. 20.

Paulus: *Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quòd parcens vobis, non veni ultrà Corinthum:* NON QUIA DOMINAMUR FIDEI VESTRÆ, *sed adjutores sumus fidei vestræ.* 2 Cor. 1.

Pe-

1 Pet. 5. Petrus: *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum. . . .* NEQUE UT DOMINANTES IN CLERIS, *sed forma facti gregis ex animo.*

Ep. 3. Joannes: *Scripsissem forsitan Ecclesiæ: sed is, qui* AMAT PRIMATUM GERERE IN EIS, *non recipit nos. Propter hoc si venero, commonebo ejus opera quæ facit, verbis malignis garriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant*, NEQUE IPSE SUSCIPIT FRATRES, ET EOS QUI SUSCIPIUNT PROHIBET, ET DE ECCLESIA EJICIT.

Hieronymus ad hæc verba Apostoli Ephes. 5. *Subjecti invicem in timore Christi:* „ *Audiant*, inquit, HÆC EPISCOPI, „ audiant PRESBYTERI, audiat OMNIS „ ORDO DOCTORUM, subjectis suis „ se esse subjectos, & imitentur dicentem „ Apostolum: *Cùm essem liber ex omnibus,* „ *omnibus meipsum servum feci, ut omnes lucrifacerem. . . .* Hoc interest inter Gentium Principes & Christianorum, QUOD „ ILLI DOMINENTUR SUBDITIS, „ NOS SERVIMUS.

Homil. 2. in Epist ad Titum. Chrysostomus: " Is, inquit, qui præesse vult (Episcopus) si eâ lege præsumit, „ UT CONSILIO PROPRIO TANTUM OMNIA FACIAT, quasi nemini „ rationem redditurus, TYRANNICE potius quàm populariter hujusmodi exercet „ officium.

Curæ Past. Parte 2. c. 6. Gregorius: " PLERUMQUE, ait, „ Rector eo ipso, quo cæteris præeminet, „ ELATIONE COGITATIONIS INTUMESCIT. Et dum ad usum cuncta „ sub-

„ subjacent, dum ad votum velociter jussa „ complentur. . . . seductus ab his quæ „ infra suppetunt, SUPER SE ANIMUS „ EXTOLLITUR. . . . SUBJECTOS „ DESPICIT. . . . & quos forte potesta„tis excesserit, transcendisse se etiam vitæ „ meritis credit. CUNCTIS SE ÆSTI„MAT AMPLIUS SAPERE, quibus se „ videt AMPLIUS POSSE. . . . Sic„que ad ejus similitudinem ducitur, de „ quo scriptum est: *Omne sublime videt, & „ ipse est rex super universos filios superbiæ*... „ Apostatæ quippè Angelo similis efficitur, „ dum homo hominibus esse similis dedi„gnatur. PLERUMQUE ergo, dum ex „ subjectorum affluentia animus inflatur, „ IN LUXUM SUPERBIÆ IPSO PO„TENTIÆ FASTIGIO LENOCINAN„TE CORRUMPITUR. . . . Paulus „ benè agentibus fratribus prælatum se esse „ nesciebat cùm diceret: *Non quia domina„mur fidei vestræ, sed adjutores sumus fi„dei vestræ.* Atqui illicò adjunxit: *Fide „ enim statis*, ac si id quod prætulerat, „ aperiret dicens: Ideò *non dominamur fi„dei vestræ*, quia *fide statis:* æquales enim „ vobis sumus, in quo vos stare cognosci„mus.

Bernardus: " Factum superiorem dis„simulare nequimus: sed enim ad quid, „ omnimodis attendendum: NON ENIM „ AD DOMINANDUM, opinor. . . . „ Impositum senserimus ministerium, NON „ DOMINIUM DATUM. . . Disce. . . „ præsidere NON TAM AD IMPERITAN„DUM, quàm ad factitandum quod tem„pus requirit. . . . Blanditur Cathedra? (Lib. 2. de Consid. ad Eugenium Papam cap. 6.)

„ Spe-

„ Specula eſt. Inde denique ſuperinten-
„ dis, ſonans tibi Epiſcopi nomine non
„ DOMINIUM, ſed officium. . . Nam
„ quid tibi aliud dimiſit ſanctus Apoſto-
„ lus? . . . . Quòd habuit, hoc dedit,
„ ſollicitudinem. . . . ſuper Eccleſias.
„ NUMQUID DOMINATIONEM?
„ Audi ipſum: NON DOMINANTES,
„ ait, IN CLERO. . . Et vox Domini
„ eſt in Evangelio: *Reges gentium dominan-*
„ *tur eorum. . . .* Et infert: *vos autem*
„ *non ſic.* Planum eſt: APOSTOLIS
„ INTERDICITUR DOMINA-
„ TUS. I ergo tu, & tibi uſurpare aude
„ aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſto-
„ licus Dominatum &c.

Et ibidem Lib. 3. c. 1. " DOMINARI
„ NE AFFECTES, ut non dominetur tui
„ omnis injuſtitia. . . . Nam NULLUM
„ TIBI VENENUM, NULLUM GLA-
„ DIUM PLUS FORMIDO, QUAM LI-
„ BIDINEM DOMINANDI.

Non tam frequenter, non tam ſollicitè de cavendo in Eccleſia dominatu monerent Scripturæ & Patres; niſi frequenter in ea dominatus exercere contingeret.

Scripturis & Patribus experimentum accedit, ut Hiſtoria Eccleſiaſtica teſtatur. Quin vidimus ipſi oculis noſtris aliquando dominatum exerceri in Diæceſi Mechlinienſi, ubi quiſquis non placebat iis qui utrique Poteſtati ſubrepſerant, ab Officiis, Beneficiis, Dignitationibus, Functionibus Eccleſiæ, & Gradibus Academicis excludebatur pro ipſorum arbitrio, nullo juris aut æquitatis ordine ſervato.

Et jam anni circiter ſexaginta ſunt, cùm ſo-

Societas & Schola Molinistica tota desudat, ut fidelibus per Episcopos proponatur Formula, quâ jurent se judicare Libro Jansenii quinque propositiones damnatas contineri: quisquis id recusat, invidioso Jansenismi nomine traducitur, & velut ad omnia ineptus repellitur; quamvis ingenio, doctrinâ, morumque integritate, aptus sit ad omnia: quisquis verò id jurat, ad omnia licèt ineptus, ad omnia evehitur. Quid est dominari supra fidem fidelium, si hoc non sit?

2. Ex isto autem dominatu maxima, tum Ecclesiæ inimicis, tum Ecclesiæ filiis, scandala nascuntur. Et inimici quidem insultant Ecclesiæ, quasi dominanti fidei fidelium, dum jurare eos jubet id se credere, quod revelatum non est; ideóque profitentur apertè nùmquam se ad istam Ecclesiam venturos, quæ ejusmodi tyrannidem in suos exercet. Filii verò Ecclesiæ accerrimis inter se diffidiis scinduntur, dum hi illos accusant ut perjuros, qui jurejurando affirmare audeant rem incertam; illi verò hos redarguunt, ut rebelles, pertinaces, hæreticos, qui Formulæ fidei à summis Pontificibus præscriptæ subscribere detrectent.

3. Atque hæc mala jam à tot annis patitur Ecclesia, cùm pernicie animarum incredibili, propter rem, quæ nihil prorsus vel ad fidem vel ad mores pertinet, nè dicamus, propter rem nihili. Neque enim agitur nisi de hâc quæstione: *An quinque propositiones damnatæ Libro Jansenii contineantur?* Quod sivè affirmaveris, sive negaveris, sive judicium de eo suspenderis, nihil

nihil omninò ad fidem aut mores intereſt. Salva erunt tibi fides & mores; ſi affirmes: ſalva; ſi neges: ſalva; ſi judicium ſuſpendas. Quod quamquam jam ab annis ſexaginta luce clarius ſcriptis propè innumeris demonſtratum fuerit, graſſari tamen pergit in bonos quosque hoc malum, & fidelium unitatem lacerare.

4. Et quamquam dominatum iſtum non exerceat ipſa Eccleſia, ſed quidam in Eccleſia privati: Eccleſiæ tamen eum imputant ipſius inimici, peſſimamque indè opinionem de Eccleſia concipiunt. Utinam eam non firment Magiſtri Veſtri condemnando propoſitionem, quæ dominatum iſtum condemnat.

II.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Veritates eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum; adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium: Neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſeneſcentis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos. Prop. 95.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

1. *Quod veritates eò devenerint, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque chriſtianis,* teſtes

testes sunt omnes, qui quid de præcipuis quibusque veritatibus intelligant plerique Christiani, penitius explorant. Nam etsi veritates videantur non ignorare; non magis tamen, quàm linguam quamdam peregrinam, eas passim intelligere deprehenduntur. Audiunt & sciunt primum præceptum: ***Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis:*** sed audiunt passim & sciunt quasi linguam peregrinam, dum illud se putant ritè adimplere, Actus amoris Dei, ut vocant, ex libris identidem recitando, aut eos sibi imaginando per phantasiam, aut verbis protestando quòd Deum ex toto corde diligant; etsi ex operibus manifestum sit, quòd toto corde diligant mundum & ea quæ in mundo sunt. Audiunt & sciunt peccatorem converti debere ad Deum & agere pœnitentiam: sed probè se illud præstare credunt peccatores plerique, dum examinatâ conscientiâ, & modico ad eliciendum contritionis actum, formandumque emendationis propositum conatu adhibito, confitentur, absolvuntur, & injunctam sibi pœnitentiam adimplent. Audiunt & sciunt has & hujusmodi veritates Evangelicas: ***Qui amat Patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus: Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus: Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus: Qui invenit animam suam, perdet illam; & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabi-***

Math. 10.

Ibid. 18.

Luc. 14. *bitis in regnum cœlorum. Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Sed hæc omnia in eum sensum detorquent, ut minimè noceant suis cupiditatibus; adeóque non aliter audiunt vel sciunt, quàm linguam quamdam peregrinam, quam non intelligunt.

1 Cor. 2. 2. *Modus* etiam *prædicandi* hodiernus *est veluti idioma incognitum; adeò remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium.* Ubi enim hodie est, qui dicere possit cum Apostolo: *Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni* NON IN SUBLIMITATE SERMONIS, *aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos,* NISI JESUM CHRISTUM, ET HUNC CRUCIFIXUM. *Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos: Et sermo meus & prædicatio mea,* NON IN PERSUASIBILIBUS HUMANÆ SAPIENTIÆ VERBIS; *sed in ostensione spiritus virtutis?* Multi vel ex ingenio suo, vel ex libris ad ostentationem ingenii & eloquentiæ compositis, eruere student sublime aliquid ac dicere, quo animos auditorum rapiant in admirationem, captumque eorum excedendo ingenii sibi laudem concilient. Erubescunt videri non scire aliud quàm Jesum Christum, & hunc Crucifixum: ideóque vel illum non prædicant, vel prædicant illum *in sublimitate sermonis*; ut vel tunc cùm Jesum Christum prædicant, plus aliquid quàm Jesum Christum, & hunc Crucifixum, scire videantur. Alii solâ scholasticâ imbuti, vix prædicant popu-

pulo nisi quæstiones steriles ac inutiles; & si quando prædicant Christum, Christique Evangelium, aut Religionis Christianæ mysteria; id faciunt modo tam scholastico, tam exsucco, tam sterili, ut magis quæstiones scholæ quàm doctrinam ac mysteria Christi prædicare diceres.

Ex concionibus ejusmodi aut nullus aut exiguus fructus nascitur. Nam quâ prædicatione mundum olim converterunt Apostoli, eâ etiam hodiè converti debet: illi verò mundum converterunt prædicando Christum crucifixum, & Christi Evangelium; idque non *in sublimitate sermonis*, aut *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis:* Ab ea autem prædicandi ratione quantò magis hodiè receditur, tantò sterilior est hodiè prædicatio, parumque efficax quæ mundum convertat.

3. Hunc porrò *defectum esse unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ*, rectè ait propositio. Senectutis enim signum est, non parere & fructum non ferre.

Senectutem sanè in Ecclesia agnoscit Augustinus ad hæc verba Ps. 70. Serm. 2. *Et usque in senectam & senium*, ubi ait:
„ Quando venit Christus, crucifixus est,
„ mortuus est, surrexit, vocavit gentes,
„ cœperunt converti, facti Martyres for-
„ tes in Christo, fusus est sanguis fidelis,
„ surrexit seges Ecclesiæ, HÆC JUVEN-
„ TUS. . . . Quid postea? Et usque ad
„ SENECTAM ET SENIUM annuntiabo
„ mirabilia tua: usque ad finem sæculi
„ erit hic Ecclesia.

Sed juxta Gregorium quæ per prædicationem fœcunda erat in juventute, non

Lib. 19. Moral. c. 12. ſic amplius parere valet, dum quodam ſenio debilitatur: „ Adulta Eccleſia, inquit, dicitur, quando Dei verbo copulata, ſancto repleta ſpiritu, per prædicationis miniſterium IN FILIORUM CONCEPTIONE FOETATUR, quos exhortando parturit, convertendo parit. De hac ejus ætate Domino dicitur, *Adoleſcentulæ dilexerunt te.* Univerſæ quippè Eccleſiæ, quæ unam Catholicam faciunt, Adoleſcentulæ vocantur: non jam vetuſtæ per culpam, ſed novellæ per gratiam: non SENIO STERILES, ſed ætate mentis AD SPIRITALEM CONGRUÆ FOECUNDITATEM. Tunc ergo, cùm in diebus illis Eccleſia, QUASI QUODAM SENIO DEBILITATA PER PRÆDICATIONEM FILIOS PARERE NON VALET, reminiſcitur fœcunditatis antiquæ dicens: *Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ.*

4. Tandem monet propoſitio, *Quòd defectus ille ſignum ſit iræ Dei in filios ſuos.* Et benè monet: quia permittendo defectum iſtum exequitur Deus pœnam graviſſimam, quam minatus eſt per Prophetam: Amos 8. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram: non famem panis, neque ſitim aquæ;* SED AUDIENDI VERBUM DOMINI. . . . *Circuibunt quærentes verbum Domini, & non invenient.* Verè enim eſt fames audiendi verbum Domini, quando prædicatores paſſim non verbum Dei, non Chriſtum, non Chriſti doctrinam ac myſteria; ſed neſcio quas ingenii humani cogitationes in ſublimitate ſermonis & in perſuaſibilibus humanæ ſapien-

pientiæ verbis populo prædicant.

Hunc in prædicando defectum sæpè deplorabant Magistri nostri, & nos ad Apostolicè & Christianè prædicandum instituebant: Vestri defectum illum probant ac fovent, dum propositionem quæ defectum istum arguit, condemnant.

III.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Pervicacia, præventio, obstinatio, in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ. v.g. bonos libros, instructiones, sancta exempla. Prop. 99.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Patet propositionis hujus veritas ex paginis utriusque Testamenti, & ex Historia Ecclesiæ universa.

In odorem vitæ positi fuerant olim in Synagoga Isaïas, Hieremias, Zacharias, aliique Prophetæ, qui Christum venturum Judæis prædicabant: sed eos multis in odorem mortis factos esse ob pervicaciam, præventionem, & obstinationem eorum quibus prædicabant, nolentium aut causam illorum examinare, aut agnoscere se deceptos, patet tum ex veteri Testamento, ubi de Prophetis illis agitur, tum ex novo,

ubi Stephanus Judæis obstinationem suam exprobrans, sic eos alloquitur: DURA
Actor. 7. CERVICE, *& incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut Patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri, & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu justi? . . . . Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.*

In odorem vitæ positus erat Christus.
Luc. 2. Et tamen vel ipse *positus* dicitur à Simeone *in ruinam multorum.* Idque ob pervicaciam Judæorum illi contradicentium, nec volentium examinare quod docebat, aut se deceptos agnoscere.

In odorem vitæ à Deo positi erant Apo-
2 Cor. 2. stoli. Et tamen *sumus*, inquit Paulus, *aliis quidem* ODOR MORTIS IN MORTEM, *aliis autem odor vitæ in vitam.* Eccur aliis *odor mortis in mortem*, nisi ob pervicaciam, præventionem & obstinationem Judæorum ac Gentilium, qui ipsorum prædicationem, quæ debebat esse odor vitæ, quoad multos mutabant in odorem mortis, ut totus Actuum Apostolicorum Liber testatur, & patet Act. 4. 5. 13. 14. 16. 17. 18. 19. 24. ac tandem cap. 28. Ubi cùm quidam crederent his quæ dicebantur à Paulo, quidam non crederent, non consentientibus invicem & discedentibus, dixit Paulus unum verbum: *Quia benè Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros dicens: Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi bu-*

hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt: ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos. Quibus apertè significatur, quòd pervicacia, præventio, obstinatio Judæorum in nolendo examinare quod prædicabat Paulus, aut agnoscere se fuisse deceptos, mutaverit prædicationem ipsius quoad multos in odorem mortis, quæ erat in odorem vitæ.

Post Apostolos, positi etiam fuerunt in odorem vitæ primi christiani: sed pervicacia, præventio, & obstinatio persecutorum, nolentium examinare quæ esset Christianorum doctrina ac vita, aut agnoscere se deceptos esse, fecit ut multis essent in odorem mortis, dùm nomen christianum adeò reddebant invisum, ut vel de eo accusari & convinci crimen haberetur morte mulctandum: neque enim aliâ de causâ tot millia Martyrum trucidata sunt, quàm quod aut convincerentur esse christiani, aut se Christianos esse confiterentur.

Ex Historia Ecclesiastica, cùm possemus innumeros, non proferemus nisi Athanasium, qui etsi à Deo in Ecclesia positus fuerit in odorem vitæ; pervicacia tamen, præventio, obstinatio Arianorum ac Imperatorum nolentium causam ipsius examinare, aut agnoscere se deceptos, effecit, ut quoad multos fuerit in odorem mortis, dum plurimi, eo condemnato coacti vel ejus condemnationi subscribere, vel exulare, subscribendo lapsi sunt. Atque inter hos tandem etiam post longum exilium

 per-

persecutioni succubuit ipse Liberius Pontifex Romanus.

Prætermittere non possumus, quòd ipsam Augustini de Gratia & Prædestinatione doctrinam, quæ à Deo in Ecclesia posita fuit in odorem vitæ, quorumdam pervicacia, præventio, obstinatio, nolentium aut eam examinare, aut agnoscere se deceptos, mutaverit jam olim & mutet adhuc quotidie quoad multos in odorem mortis. S. Prosper: " Doctrinam, inquit, quam „ Sanctæ memoriæ Augustinus Episcopus „ contra Pelagianos. . . . apostolicè asse„ ruit. . . . quibusdam visum est, aut non „ intelligendo, aut INTELLIGI EAM „ NOLENDO, reprehendere. . . ut quæ „ in libris prædicti viri damnabiliter repe„ risse jactabant, brevium Capitulorum in„ diculis publicarent: talique commento „ & detestationem ejus, quem impeterent, „ obtinerent; & ab his quæ infamassent, „ curam exterriti Lectoris averterent. Et rursus *Præfatione in Responsiones ad capitula Objectionum Vincentianarum:* " Qui„ dam, inquit,. . . contexunt. . . & qua„ libus possunt sententiis comprehendunt „ ineptissimarum quarumdam blasphemia„ rum prodigiosa mendacia; eaque osten„ denda & ingerenda multis publicè pri„ vatimque circumferunt: ASSERENTES „ TALIA IN NOSTRO ESSE SENSU, „ QUALIA DIABOLICO CONTINEN„ TUR INDICULO. Et cap. I. cont. Collatorem: " Gratiam Dei, inquit, quâ „ Christiani sumus, QUIDAM DICERE „ AUDENT A SANCTÆ MEMORIÆ „ AUGUSTINO EPISCOPO NON „ RECTE

Præfatione in Responsiones ad Capitula Gallorum.

„ RECTE ESSE DEFENSAM, Librosque ejus contra errorem Pelagianum conditos, immodestis calumniis impetere non quiescunt.

Calumniæ erant: *Quòd ex Prædestinatione Dei, velut fatali necessitate, homines ad peccata compulsi, cogantur in mortem: Quòd non omnes homines vocentur ad gratiam: Quòd liberum arbitrium in homine nihil sit; sed sive ad bonum, sive ad malum, prædestinatio Dei in hominibus operetur: Quòd non omnes homines velit Deus salvos fieri; sed certum numerum prædestinatorum: Quòd non pro totius mundi redemptione salvator sit crucifixus: Quod hæc sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit* &c.

His & hujusmodi calumniis doctrinam Augustini, quæ erat in odorem vitæ, mutabant in odorem mortis, nolendo eam examinare, aut agnoscere se fuisse deceptos. Calumniis additum fuit invidiosum nomen *Prædestinatianorum*, quo non alii notati fuêre, quàm Augustini discipuli.

Neque olim tantummodò, sed & hodiedum doctrina Augustini in odorem mortis vertitur. Sicut enim olim Semi-pelagiani, errores quos ex doctrina Augustini pessimè inferebant, doctrinam Augustini esse calumniabantur; ita hodiè Molinistæ, quæ ipsi juxta suam Theologiam ex doctrina Discipulorum Augustini sequi putant, per calumniam Augustini Discipulis affingunt; addito etiam invidioso nomine Bajanismi aut Jansenismi, nè quâ in re Semi-pelagianis concedant.

Doctrinam S. Thomæ ab iisdem in odo-

rem mortis verti notiùs eſt, quàm ut dici debeat. Apertè enim ac palam edicunt, Thomiſtarum de gratiâ prædeterminante doctrinam, novum eſſe Lutheri & Calvini commentum, quæ libertatem tollat, neceſſitatem inducat &c.

Atque hinc patet, quàm multi ſint, quorum *pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptos, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, v.g. bonos libros, inſtructiones, bona exempla &c.*

Et quid, quòd nec ipſi ſummi Pontifices, ſi SS. Patribus credimus, ab iſto vitio ſemper fuerint immunes?

Epiſt. 10. ad Euſeb. Samoſ.

Baſilius: " Quale, inquit, nobis auxi-„ lium ab occidentalium ſupercilio & faſtu „ aderit? Qui veritatem NEQUE NO„ RUNT, neque DISCERE STU„ DENT; verum FALSIS OPINIO„ NIBUS PRÆPEDITI, illa nunc fa„ ciunt, quæ prius in Marcello patrârunt: „ nempè CUM IIS QUI VERITATEM „ IPSIS ANNUNTIANT CONTEN„ DENTES, HÆRESIM AUTEM PER „ SE IPSOS STABILIENTES. Ego „ ſanè ipſe abſque communi litterarum fi„ gura volebam ad eorum Anteſignanum „ (Romanum Pontificem) ſcribere: de „ Eccleſiaſticis quidem nihil, niſi per ænig„ mata: quoniam NON INTELLIGUNT „ NOSTRORUM VERITATEM, NE„ QUE VIAM QUA POSSINT AD„ DISCERE, AMPLECTUNTUR. In„ univerſum, hoc litteris volebam ſignifi-

„ care,

„ care, non per afflictiones oppressis humiliatisque pœnam esse irrogandam, „ NEQUE DIGNITATEM ÆSTIMANDAM ESSE SUPERBIAM.

Bernardus ad Eugenium Papam: " Est „ item vitium, inquit, cujus si te immunem sentis, inter omnes quos novi ex „ his qui Cathedras ascenderunt, sedebis „ me judice solitarius. . . . . FACILITAS CREDULITATIS hæc est, cujus callidissimæ vulpeculæ magnorum „ neminem comperi satis cavisse versutias. „ Indè eis PRO NIHILO IRÆ MULTÆ, INDE INNOCENTIUM FREQUENS ADDICTIO, INDE PRÆJUDICIA IN ABSENTES. Lib. 2. ad Eugenium de Consid. c. ultimo.

Atque ut nihil dissimulemus, quid est quod viros quosque optimos ac doctissimos, eorumque doctrinam, libros, exempla, quæ erant in odorem vitæ, jam per annos circiter sexaginta mutavit quoad multos in odorem mortis? nisi pervicacia, præventio, obstinatio eorum, qui ne causâ quidem illorum cognitâ, nedum examinatâ, ob solum nomen Jansenismi eos persequuntur, & ab omnibus in Ecclesia muniis ac dignitatibus excludunt, laboresque eorum, & fructus quos ferre possent, irritos reddere conantur? Stabunt illi aliquando *adversus eos qui se angustiaverunt & qui abstulerunt labores eorum.*

Atque utinam non stent adversus Magistros Vestros, qui condemnant propositionem, quæ tantum malum redarguit, & monet corrigendum!

IV.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Nihil Spiritu Dei & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis & idiotis, & efficere ut nomen & veritas Dei aliquando deſerviant conſiliis impiorum. Prop. 101.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

Spiritus Dei per Eccleſiaſticum cap. 9. mandat : *Jurationi non aſſueſcat os tuum; multi enim caſus in illa. . . . Vir multum jurans implebitur iniquitate.*

Doctrina Chriſti eſt Matt. 5. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino. . . . ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.*

Iterum Spiritus Chriſti per Jacobum cap. 5. mandat : *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter : Eſt, eſt: Non, non: ut non ſub judicio decidatis.*

Nihil ergo ſpiritui Dei & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia &c.

Nihil etiam magis opponitur doctrinæ Patrum.

Exhort. ad virg. Ambroſius : " Qui non jurat, inquit, „ uti-

„ utique non pejerat: Qui autem jurat, „ aliquando necesse est incidat perjurium, „ quia omnis homo mendax. Noli ergo „ jurare, ne incipias pejerare.

Hieronymus: " Evangelica veritas juramentum non recipit. In Math. 6.

Augustinus: Jurationem cave quantum „ potes. Melius quippè nec verum juratur, quàm jurandi consuetudine & in „ perjurium sæpè caditur, & semper perjurio appropinquatur. Ep. 157. ad Hilar. alias 89.

Ex doctrina Scripturarum & Patrum in Capitularibus Lib. 5. n. 349. lex est: *Volumus ut Sacramenta* CITO NON FIANT, *sed unusquisque judex prius causam veraciter cognoscat, ut eum veritas latere non possit.* NEC FACILE AD SACRAMENTA VENIANT.

Quid ergo movere potuit Magistros Vestros, ut hanc Scripturæ & Patrum doctrinam condemnarent?

Suspicantur aliqui, displicuisse in propositione hæc verba: *Laqueos tendere infirmis & idiotis, & efficere ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consiliis impiorum.*

Sed quid certius? Cùm enim & in tribunalibus, & in omni ferè professione, opificio, commercio, communia sint juramenta; neque homines idiotæ ponderent satis perjurii pravitatem: periculum est, nè passim pejerent, vel ut lucrum aliquod acquirant, vel damnum evadant; vel pretio etiam ad pejerandum conducti, infirmitate vincantur. Unde Concilium Turonense 3. Can 34. " *Multi*, inquit, SUNT QUI „ PEJERARE PRO NIHILO DU-

„ CUNT, in tantum ut PRO UNIUS
„ DIEI SATIETATE, aut PRO QUO-
„ LIBET PARVO PRETIO, ad jura-
„ mentum CONDUCI POSSUNT, ani-
„ masque ſuas perjurio perdere minimè
„ formidant.

Porrò *impios* eſſe, qui ad pejerandum alios conducunt, omnes fatentur: proindè tunc nomen & veritatem deſervire conſiliis impiorum, negari non poteſt.

Neque hoc, ut arbitramur, negabunt Magiſtri Veſtri. Sed ægrè illos fortaſſè habet, quod & ipſos redarguat propoſitio, tamquam qui contra Spiritum Dei & doctrinam Jeſu Chriſti communia faciant juramenta in Academia Lovanienſi. Nam decretum jam pridem ab illis eſſe intelleximus, nemo ut deinceps ad Gradus Academicos in Facultate Theologica admittatur, niſi prius juraverit in Formulam Alexandri VII. juxta Bullam, *Vineam Domini Sabaoth*: quod ſanè nihil aliud eſt, quàm *multiplicare occaſiones pejerandi*, *laqueos tendere infirmis*, *& efficere ut nomen & veritas Dei deſerviant conſiliis* Moliniſtarum, aliorumque, qui à Gradibus Academicis excluſos volunt, quos gratis perſequuntur. Eſt *multiplicare occaſiones pejerandi*, quia juxta Bullam, *Vineam Domini*, debet is qui jurat, *interius judicare doctrinam hæreticam libro Janſenii contineri*. Jam verò id prudenter interius judicare non poſſunt Theologi, qui jurare coguntur. Ut enim hoc prudenter interius judicarent, deberent aut ipſi oculis ſuis ſuâque induſtriâ doctrinam hæreticam in Libro Janſenii certò deprehendiſſe; aut ex alienâ auctoritate de eo

tam

tam certi esse, ut prudens dubitatio non superſit. Neutrâ autem viâ de eo certi ſunt qui jurare coguntur Theologi. Non primâ: quia ingenuè fatebuntur omnes, Janſenii librum ſe numquam legiſſe, nec licitum putaſſe ſibi legere, cùm prohibitus ſit. Non ſecundâ: Quia ſciunt de eo controverſiam acerrimam eſſe inter Theologos, qui Janſenium magnâ diligentiâ diſcuſſerunt; aſſerentibus hinc Moliniſtis & qui illis adhærent doctrinam hæreticam Libro Janſenii contineri; indè verò aſſerentibus aliis, eo libro non contineri niſi doctrinam Catholicam Auguſtini de Prædeſtinatione & gratia; ac proindè ſubreptum fuiſſe Alexandro VII. ſummo Pontifici, dum quinque propoſitiones hæreticas eo contineri pronuntiavit. Qui autem non niſi ex aliena autoritate poſſunt judicare, & ſciunt autoritatem hinc indè diviſam eſſe, neutrum poſſunt prudenter interius judicare; ſed circa utrumque debent judicium ſuſpendere.

Sed quid faciant Theologi, qui aut à Magiſtris ſuis juſſi Gradus Academicos ſuſcipere, aut ad eos ſuſcipiendos ſuâ cupiditate impulſi, ſciunt ſe non ſolùm ab iis cum ignominia repellendos, ſi jurare recuſent; ſed etiam vitæ ac ſtudiorum præſidiis, ſi quibus fruantur, ſpoliandos in Academia, arcendoſque deinceps in Eccleſia à Sacris Ordinibus, Beneficiis, Officiis, ac omni demum ſpe provectionis per vitam reliquam exuendos? Quid faciant, inquam, Theologi? Jurant plerique, etſi prudenter interius non judicent, doctrinam hæreticam Libro Janſenii contineri; adeó-

que juxta Bullam, *Vineam Domini*, jurejurando Eccleſiam decipiunt.

At numquid ad evadendum perjurium ſufficit id judicare, etiam imprudenter?

Ita pridem ab uno è Magiſtris Veſtris interrogatum fuiſſe audivimus quemdam pro adipiſcendo S. Theologiæ Magiſterio diſputantem: Qui intrepidè reſpondit, ſufficere. Obſtupuit, qui interrogaverat, Magiſter, nec verbum repoſuit: ſed indignationem continere non poterant, qui frequentiſſimi aderant Auditores, muſſitantes inter ſe: Quid? Siccinè Romano Pontifici ſerviunt magni illi, ut videri volunt, ſedis Apoſtolicæ zelatores, ut illam etiam decipiant jurando *imprudenter*? Idque ſine perjurio fieri doceant & profiteantur palam?

Hebr. c. 7. Ubi nunc iſtud Apoſtolicum: *Homines per majorem ſui jurant, & omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem eſt juramentum*? Quomodo enim *omnis controverſiæ eorum finis* ſit, aut quomodo *ad confirmationem erit juramentum*, ſi perjuri non ſint, qui jurant ſe interius judicare rem aliquam ſic vel ſic ſeſe habere, & tamen hoc non judicant niſi *imprudenter*? Parum certè curant homines imprudentiam committere, modò non committant perjurium: atque ita vocati ad rem aliquam jurejurando affirmandam, jurabunt intrepidè eam ſic ſe habere, etſi eam ſic ſe habere imprudenter judicent, parum ſolliciti de imprudentia, dummodò ſecuri ſint de perjurio. Caſus ſit: Graviter læſus eſt, vel etiam occiſus, Joannes, ſpectantibus pluribus: Rei aguntur Petrus & Paulus: Negat uterque: Vocantur ad teſtandum qui ſpectatores fuerunt;

runt, omninò viginti. Decem ex his singulari affectu addicti sunt Petro: decem alii pari affectu addicti sunt Paulo: singuli pro suo affectu judicant non ab eo, cui affecti sunt, sed ab altero, cui affecti non sunt, læsum vel occisum esse Joannem: sciunt in Schola Lovaniensi palam, nullo contradicente, pro Magisterio defensum esse, hoc judicium, etsi fortè imprudens, sufficere ad evadendum perjurium: Citantur à Judice: Interrogantur, uter læserit vel occiderit Joannem, Petrus an Paulus? Decem, affecti Petro, testantur, non Petrum, sed Paulum id perpetrasse: decem alii, affecti Paulo, non Paulum, sed Petrum. Jussi singuli quod testantur jure jurando confirmare, jurant omnes; &, si novellæ illi opinioni credimus, nemo pejerat: nam omnes judicant verum esse quod testantur, licèt id judicent imprudenter. Quid hìc Judex? Dubitare non potest, quin inter illos sint qui pejerârint. Citantur iterum, & discussi penitius, fatentur imbutos se esse eâ opinione, quam jam pridem in Schola Theologica Lovaniensi pro Magisterio quidam disputans palam, improbante nemine, professus est, non pejerare eum qui jurat judicare se verum esse quod judicat, etsi id judicet *imprudenter*; ideóque se jurasse intrepidè. Quærimus, an Judex sit, qui Juratores ejusmodi non condemnet perjurii? Omnia enim judicia eversa sunt, si ea jurandi perversitas admittatur. Interest sanè Reipublicæ, ut è Scholis eliminetur ista opinio, nè in tribunalia irrepat.

Eâdem opinione imbuti Theologi jurant in

in Formulam Alexandri VII., ſecuros ſe rati à perjurio, dummodò interius judicent (ſive prudenter, ſive imprudenter) doctrinam hæreticam libro Janſenii contineri. Et quis Theologorum eſt, qui pro affectu ſuo non judicet, dum alioquin videt ſe à Gradibus Academicis, & omni promotionis ſpe deinceps excludendum? Vel unius viri qualiscumque autoritas illi ſufficiet, ut hoc ſibi perſuadeat, & rationes vel autoritatem aliorum nè velit quidem attendere. Nam etſi fortaſſe hoc ſibi perſuadeat imprudenter; edoctus tamen eſt, periculum non eſſe perjurii, ſi cum iſta perſuaſione juraverit.

Viderit ſedes Apoſtolica, an hoc in Eccleſia ferendum ſit. Sed videant interim Magiſtri Veſtri, *multiplicare ſe occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis & idiotis, & efficere, ut nomen & veritas Dei deſerviant conſiliis* hominum, qui non ob aliud perſuadere illis potuerunt exactionem Formularii, quàm ut ab Eccleſiæ functionibus & Gradibus Academicis excluderentur omnes, qui ipſorum placitis non conſentiunt. Ubi contrà excludendi forent, qui jurant tam temerariè; illi verò admittendi, qui malunt amittere omnia, quàm jurando quod dubium eſt, conſcientiam ſuam lædere & Deum offendere.

§. XI.

De Perſecutionibus Eccleſiæ.

Quemadmodum adverſus abuſus, qui in Eccleſia ſunt, muniendi ſunt fideles, nè illos

illos pro Ecclesiæ usibus accipiant, & incauti sequantur: ita etiam muniendi adversus Ecclesiæ persecutiones, sivè apertè sævientes, sive occultè blandientes, ne illis succumbant.

De Persecutionibus toties, tam disertè, tam sollicitè monent nos Christus & Apostoli: ut vel indè, quantum ab iis periculum immineat, liceat conjicere.

Si mundus vos odit, inquit Christus, *scitote quia me priorem vobis odio habuit. . . . Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Joan. 15.

Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Ibid. cap. 16.

Et apud Matthæum: *Surgent enim pseudo Christi & pseudo Prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Matt. 24.

Spiritus autem ait Apostolus, *manifestè dicit, quia in novissimis diebus discedent quidam à fide* &c. 1 Tim. 4.

Hoc autem scito, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt homines seipsos amantes. 2 Tim. 3.

Et Apostolorum Princeps: *Hoc primum*, inquit, *scientes, quòd venient in novissimis diebus in deceptione illusores.* 2 Pet. 3.

Joannes verò: *Filioli*, inquit, *novissima hora est & sicut audistis, quia Antichristus venit, &* NUNC ANTI-CHRISTI MULTI SUNT. 1 Joan. 2.

Mirum, quòd dum toties de persecutionibus loquuntur Christus & Apostoli, mentionem de iis ferre non possint Magistri Vestri, &, quæ de illis loquuntur, propositiones condemnent. Quid utilius, quàm mo-

monere fideles, ut quamquam viderent Potestates omnes Prædicatoribus veritatis contrarias esse, non turbentur: Deum enim hoc permittere, ut ejus victoria attribui non possit nisi Divinæ gratiæ? Quid magis necessarium, quàm eosdem docere, quòd sæpè in Persecutionibus contingat, ut qui maximè sancti sunt in Ecclesia, habeantur tamquam indigni qui in ea sint, rejiciunturque velut impii, flagitiosi, hæretici? Hoc enim nisi doceantur, periculum est ne imitari non audeant, quos sic pati vident, & vel ex eo quod patiantur, non sanctos, sed impios esse concludant. Hæc certè nos sollicitè ac frequenter monebant Magistri nostri ex sacris Litteris & SS. Patribus: nec satis intelligimus, quid vestros moverit, ut propositiones de Persecutionibus, quas hic asserimus, condemnarent.

I.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ. Prop. 96.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Deum hoc permissurum prædixerat David Ps. 2. & quod prædixerat, evenisse patet, non solùm ex Evangelio, ubi cum Judæis contra Christum conspirârunt Herodes & Pon-

Pontius Pilatus, sed etiam ex Libro toto Actuum Apostolorum, quorum se prædicationi ubique ferè potestas Judæorum & Gentilium opposuit. Undè cùm Petrus & Joannes annuntiarent aliis Apostolis, *quanta ad eos Principes sacerdotum* & seniores *dixissent*, illi memores prædictionis Davidicæ, *unanimiter levaverunt vocem ad Deum & dixerunt: Domine... qui spiritu sancto per os patris nostri David, pueri tui, dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus? Convenerunt enim verè in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israël.* Act. 4.

Capite sequenti: *Exurgens.... Princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant... repleti sunt zelo, & injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica.* Postridie verò *cæsis denuntiaverunt, ne omninò loquerentur in nomine Jesu.*

Act. 13. *Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes* &c.

Act. 14. *Qui... increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt & ad iracundiam concitaverunt animas gentium adversus fratres.*

Act. 16. Paulus & Silas offeruntur Magistratibus, & sic accusantur: *Hi homines conturbant civitatem nostram..... Et Magistratus jusserunt eos virgis cædi.*

Act. 17. Thessalonicæ *quidam ex Judæis crediderunt, & adjuncti sunt Paulo & Silæ,*

&

& de colentibus gentilibusque multitudo magna.... Zelantes autem Judæi.... turbâ factâ, concitaverunt civitatem &c... Cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi, quia & Berœæ prædicatum est à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc, commoventes & turbantes multitudinem.

Act. 18. Corinthi *insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum.... dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum.*

Act. 19. Demetrius contra Paulum seditionem excitat Ephesi.

Act. 21. *Qui de Asia erant Judæi.... concitaverunt omnem populum... clamantes... Hic est homo, qui adversus populum & legem, & locum hunc omnes ubique docens* &c.

Act. 24. *Invenimus*, inquiunt Judæi, *hunc hominem pestiferum* &c.

Ex his patet abundè, Deum permisisse ut omnes Potestates contrariæ essent veritatem prædicantibus Apostolis.

Post Apostolos, per tria prima secula in omnes Prædicatores veritatis per orbem Romanum universum desæviit Gentilium Tyrannorum furor, & innumera Martyrum millia trucidavit.

Sed nec, postquam orbis Romanus conversus est, defuêre imperatores, aliæve Potestates Christianæ, quæ veritatis prædicatores persequerentur. Quid in S. Athanasium non moverunt Ariani Episcopi? Qui vel ipsi Constantino Magno sic tandem suis calumniis suprepsêre, ut Athanasium exilio damnaret.

Plus valuêre apud Imperatorem Constantium,

tium, de quo ipse Athanasius Apologia 2. „ Cùm esset, inquit, Arelate & Mediolani, omnia pro Hæreticorum adhortatu „ suggestioneque faciebat; vel potius illi „ ipsi agebant, insultabantque in omnes, „ Cæsaris potestate succincti. Statim igitur mandata, litteræque ad Præfectum, „ ut. . . . liberum esset contumeliam inferre in Athanasii communicatores. Minæ item denunciatæ judicibus, nisi cùm „ hæreticis communionem celebrarent. Rursus ad alias partes Edicta missa, Notariique præsto in singulis urbibus, & Palatini, minas secum ad Episcopos & Judices „ deferentes; ut isti quidem de causa judicarent; illi verò contra Athanasium scriberent, ut aut communionem cum Arianis haberent, aut pœnam exilii sustinerent, populique qui ad communionem „ cum illis coïrent, vincula, contumelias, bonorumque suorum direptionem „ expectarent. . . . Quot igitur Episcopi, prout in sacris litteris est, ad Præsides & Reges abducti sunt, & à judicibus „ hanc sententiam audiverunt: AUT SUBSCRIBITE, AUT AB ECCLESIIS RECEDITE. Et infrà: " Quotquot ad Imperatorem profecti sunt, non „ prius ad ejus conspectum admissi fuêre, „ NE TANTILLO QUIDEM LAXAMENTO INDULTO, UT VEL EX „ DOMICILIO IPSIS PROCEDERE „ LICERET, PRIUSQUAM SUBSCRIBERENT; AUT, SI RECUSARENT, IN EXILIUM MITTERENTUR.

Describit ibidem S. Athanasius aliorum Episco-

Epiſcoporum perſecutionem, & invictam fortitudinem, quâ neque conſiliis, neque minis Conſtantii ceſſerunt: " His enim,
„ inquit, ad ſe vocatis, juſſit imperator
„ contra Athanaſium ſubſcriberent, & cum
„ hæreticis communionem inirent. Qui-
„ bus admirantibus novum ejus ſtudium,
„ dicentibuſque, id non eſſe Eccleſiaſtici
„ Canonis, ſtatim ſubjecit: At quod ego
„ volo, pro Canone ſit. . . . AUT IGI-
„ TUR OBTEMPERATE, AUT VOS
„ QUOQUE EXULES ESTOTE. Id
„ cùm audiviſſent Epiſcopi. . . . multa
„ cùm libertate illi ſuas rationes propoſue-
„ runt. . . . Verùm nec ille audiit, nec
„ eos plura dicere permiſit. Quin ob hoc
„ ipſum acriter minabundus, & gladium
„ intentans, quoſdam ex iis abduci juſſit...
„ Excuſſi igitur ſancti pulvere, & oculis in
„ Deum rejectis, nec Cæſaris minas vere-
„ bantur, neque ob ſtrictos enſes veritatem
„ prodiderunt, & exilium veluti miniſterii
„ ſui officium acceptârunt.

Longum foret perſecutiones omnes recenſere; ſed nequid neceſſarium apud vos, qui ex Hiſtoria Eccleſiaſtica didiceritis, ab ipſo Eccleſiæ exordio, uſque in hunc diem, omnibus ſæculis extitiſſe, vel Principes gentiles aut infideles, vel ſchiſmaticos aut hæreticos, qui Eccleſiam perſecutionibus variis devaſtârunt.

Et ut perſecutiones à gentilibus & ab hæreticis defuiſſent: numquam defuit perſecutio à malis Chriſtianis.

Jam olim de his Romanos admonebat Apoſtolus, ita ſcribens: *Rogo. . . vos, fratres, ut obſervetis eos qui diſſenſiones & offendicula,* (Rom. 16.)

cula, præter doctrinam quám vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.

Et ad Corinthios: *Ejusmodi pseudo-Apostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.* 2 Cor. 11.

Ad Galatas: *Sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi.* Gal. 1.

Ad Ephesios: *Nemo vos seducat inanibus verbis.* Eph. c. 5.

Ad Philippenses: *Imitatores mei estote, fratres, & observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi.* Philip c. 3.

Et hæc quidem persecutio tunc maximè nascitur in Ecclesia, dum pax est à persecutione externa. Ita contigisse scribit Cyprianus, cùm, cessante paulisper persecutione à Tyrannis, *traditam nobis*, inquit, *disciplinam pax longa corruperat.* " Studebant, inquit, augendo patrimonio singuli; & obliti quid credentes, aut sub Apostolis antè fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina &c. Atque hinc in persecutione, quæ postea recruduit, tam facilis multorum lapsus: " Ad prima statim verba minantis inimici, inquit, maximus fratrum numerus fidem suam prodidit, nec pro„ stra- Tract. De Lapsis. Ibidem.

„ ſtratus eſt perſecutionis impetu, ſed „ voluntario lapſu ipſe ſe proſtravit. . . . „ Non expectaverunt ſaltem, ut interro- „ gati negarent, ut thus accenderent appre- „ henſi. Ante aciem multi victi &c.

De hoc genere perſecutionis, quam Eccleſia intus patitur à malis Chriſtianis ac filiis ſuis, frequens etiam mentio eſt apud alios Patres: " Videbatur, inquit Bernar- „ dus, jam ceſſaſſe perſecutionis tempus, „ ſed ut palam factum eſt, NUMQUAM „ DEEST PERSECUTIO CHRISTIA- „ NO, SED NEQUE CHRISTO. Et „ nunc, quòd gravius eſt, IPSI CHRI- „ STUM PERSEQUUNTUR, QUI AB „ EO UTIQUE CHRISTIANI DI- „ CUNTUR. . . . Egreſſa eſt iniquitas à „ ſenioribus vicariis tuis, qui videntur re- „ gere populum tuum. Non eſt jam di- „ cere, ut populus, ſic ſacerdos: quia „ nec ſic populus, ut ſacerdos. Heu! „ Heu! Dominus Deus, ipſi ſunt IN PER- „ SECUTIONE TUA PRIMI, QUI VI- „ DENTUR IN ECCLESIA TUA PRI- „ MATUM DILIGERE, GERERE „ PRINCIPATUM. . . . Miſera eorum „ converſatio, plebis tuæ miſerabilis ſub- „ verſio eſt. . . . De animarum ſalute „ noviſſima cogitatio eſt. AN VERO „ SALVATORI ANIMARUM GRA- „ VIOR ULLA ESSE POTERAT „ PERSECUTIO? Iniquè agunt & ceteri „ contra Chriſtum, MULTIQUE SUNT „ NOSTRIS TEMPORIBUS ANTI- „ CHRISTI.

Serm. 1. de Sanctis in Converſ. S. Pauli.

Idem de eadem perſecutione: " Serpit „ hodie, inquit, putida tabes per omne „ cor-

Serm. 33. in Cant.

„ corpus Ecclesiæ, & quò latiùs, eo desperatiùs; eóque periculosiùs, quo interiùs. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras, & aresceret, si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc verò, quem ejiciet, aut à quo se abscondet? Omnes amici, & omnes inimici; omnes necessarii, & omnes adversarii; omnes domestici, & nulli pacifici; omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt. MINISTRI CHRISTI SUNT, ET SERVIUNT ANTI-CHRISTO. . . . Olim prædictum est, & nunc tempus implectionis advenit: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. PAX A PAGANIS, ET PAX AB HÆRETICIS, SED NON PROFECTO A FILIIS.

Ac rursus: " Quem dabis mihi de numero Præpositorum, qui non plus invigilet subditorum vacuandis marsupiis, quàm vitiis extirpandis?. . . . Parum est nostris vigilibus, QUOD NON SERVANT NOS, NISI ET PERDANT. Serm. 77. in Cant.

Est & aliud persecutionis genus, quod Ministri Ecclesiæ animabus inferunt blandiendo, & nimiâ facilitate peccatis earum indulgendo.

De hoc Cyprianus antè citatus de Lapsis: " Emersit enim, Fratres dilectissimi, NOVUM GENUS CLADIS, & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo MALUM FALLENS ET BLANDA PERNICIES. Contra

„ Evangelii vigorem, contra Domini ac „ Dei legem temeritate quorumdam laxa- „ tur incautis communicatio. Irrita & fal- „ ſa pax, periculoſa dantibus, & nihil „ accipientibus profutura. . . Ante expia- „ ta delicta, ante exomologeſim factam „ criminis, ante purgatam conſcientiam „ ſacrificio & manu ſacerdotis, ante of- „ fenſam placatam indignantis Domini & „ minantis, pacem putant eſſe, quam „ quidam verbis fallacibus venditant. NON „ EST PAX ILLA, SED BELLUM.... „ PERSECUTIO EST HÆC ALIA, & „ alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus „ impugnandis adhuc lapſis OCCULTA „ POPULATIONE GRASSATUR.

Theol. Tom. I. lib. 6. in proœ. Diſſ. 1.

Poſtremò, non minima perſecutio eſt, quæ noviſſimis hiſce temporibus illata fuit Eccleſiæ à Probabiliſtis. De hâc Contenſonius: " Manifeſtè, inquit, pellucet, ad- „ veniſſe tempus illud ab Apoſtolo præ- „ nuntiatum, quo hominibus ſanam doc- „ trinam non ſuſtinentibus, & ad ſua deſi- „ deria Magiſtros prurientes auribus ſibi co- „ acervantibus FONS PROBABILISMI „ APERTUS EST, UNDE TOT A- „ BERRATIONES, TOT DOCTRINÆ „ MORALIS FLAGITIA SCATURIE- „ RUNT, ET INNUMERA INDIES „ SCATURIUNT, ET IN POSTERUM „ SCATURIENT MAGIS.

Tot perſecutionum genera qui expenderit, veriſſimum eſſe intelliget, quòd *Deus permittat, ut omnes poteſtates contrariæ ſint Prædicatoribus veritatis.* Quod verò Deus id permittat, ut victoria attribui non poſſit niſi Divinæ gratiæ, colligitur ex

ex Apostolo: *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi eligit Deus, ut confundat fortia; & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.* Cur? *Ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei.... ut quemadmodum scriptum est:* QUI GLORIATUR, IN DOMINO GLORIETUR. Et 2 Cor. 4. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: UT SUBLIMITAS SIT VIRTUTIS DEI, ET NON EX NOBIS. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non perimus* &c. 1 Cor. 1.

Satis hæc ad propositionem asserendam adversus Magistros Vestros, qui illam quidem condemnant, sed nullum in ea crimen designant.

II.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Nimis sæpè contingit, membra illa, quæ magis sanctè ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tanquam indigna ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata. Sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum. Prop. 97.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Nihil tam Sanctum in Sacris Litteris, Sanc-

Sanctis Patribus, & Historia Ecclesiastica, quod Magistri Vestri non condemnent.

Patet propositionis illius veritas in Christo, qui tanquam caput & exemplar Sanctorum, ostendere voluit in seipso, quòd membrum Corporis sui, maximè sanctum & maximè ipsi unitum, habitum fuerit per ipsos Ministros Patris sui, tanquam indignum ut esset in Ecclesia, & tanquam ab ea separatum.

Prædictum hoc fuerat per Prophetam Psal. 117. & adumbratum per Christum in Parabola de Agricolis, Matth. 20. ubi Agricolæ *videntes filium* Patris-familias *dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus. Et apprehensum eum* EJECERUNT EXTRA VINEAM, *& occiderunt.* Atque ut parabolam de se dici intelligerent *Principes sacerdotum & seniores populi, dicit illis Jesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem* QUEM REPROBAVERUNT ÆDIFICANTES, *hic factus est in caput anguli?* Quod autem sic prædictum & adumbratum fuerat, tandem impletum est; cùm Christus tanquam blasphemus & religionis inimicus, extra portam ductus est, ut crucifigeretur, tanquam jam à populo Dei separatus. *Jesus . . . extra portam passus est*, inquit Apostolus Heb. 13. hortaturque ut & nos per similem ignominiam ad Cœlum tendamus: *Exeamus igitur*, inquit, *ad eum extra castra, improperium ejus portantes.*

Joan. 16. Eandem sortem prædixit Christus Apostolis: *Absque Synagogis facient vos.* Quod cùm non Apostolis solùm, sed & Apostolorum successoribus dictum sit; non de Syna-

Synagogis tantùm Judæorum, verùm etiam de Ecclesiis Christianorum intelligendum videtur; cœpitque in ipsis Apostolis adhuc viventibus impleri, ut patet ex Epistola Joannis tertia: *Scripsissem forsitan Ecclesiæ*, inquit, *sed is qui amat primatum gerere in eis*, DIOTREPHES NON RECIPIT NOS. *Propter hoc si venero, commonebo ejus opera quæ facit, verbis malignis garriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant; neque ipse suscipit fratres; & eos qui suscipiunt, prohibet*, ET DE ECCLESIA EJICIT.

Tempore autem Hieronymi tam frequens erat hoc malum, ut in Epistolam ad Titum Cap. 1. dicat: " Verè nunc est cernere, " quod prædictum est, IN PLERISQUE " URBIBUS EPISCOPOS SIVE " PRESBYTEROS, si laïcos viderint " hospitales, AMATORES BONORUM; " invidere, fremere, EXCOMMUNICA- " RE, DE ECCLESIA EXPELLERE: " quasi non liceat facere quod Episcopus " non faciat, & tales esse laïcos, damna- " tio sacerdotum sit. Graves itaque eos " habent, & quasi cervicibus suis imposi- " tos, UT A BONO ABDUCANT O- " PERE, VARIIS PERSECUTIONI- " BUS INQUIETANT.

Atque utinam idem malum non cernamus hodiè: quando vel AMATORIBUS BONORUM favere & adhærere, crimen habetur dirâ persecutione expiandum.

Exemplis Sanctorum, qui habiti fuerunt ut indigni, qui in Ecclesia forent, plena est Historia Ecclesiastica.

S. Athanasium, indictâ causâ, & absen-

tem, nullo juris ordine servato, damnârunt Eusebiani, Episcopatu abdicârunt in Conciliabulo Tyrio.

S. Hilarius è Synodo Biterrensi, factione Saturnini Arelatensis, Præsulis Ariani, in Phrygiam amandatus est exul.

S. Joannes Chrysostomus damnatus est in Synodo ad Quercum, Episcopatu depositus, & in exilium missus.

Plura autem esse ejusmodi exempla, quàm credi possit, testatur Augustinus lib. de vera Relig. c. 6. " Sæpè sinit Divina „ Providentia, inquit, per nonnullas ni„ mium turbulentas carnalium hominum „ seditiones EXPELLI DE CONGRE„ GATIONE CHRISTIANA, ETIAM „ VIROS BONOS. . . . Hos coronat „ in occulto Pater, in occulto videns. „ Rarum hoc videtur genus; sed tamen „ exempla non desunt: IMÒ PLURA „ SUNT, QUAM CREDI POTEST.

Lib 20. Mor. c. 18. Quin esse aliquando tempora Ecclesiæ, quibus veritas sit in crimen, & tantò quisque despectior, quanto justior, docet Gregorius ad hæc verba: *Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis proverbium:* " Illud, inquit, Sanctæ Eccle„ siæ tempus exprimitur, quo publicè à „ reprobis irridetur: quando, iniquis cres„ centibus, IN OPPROBRIUM FIDES, „ ET VERITAS ERIT IN CRIMEN. TANTÒ QUIPPE DESPECTIOR unusquisque erit, QUANTO JUSTIOR esse potuerit: TANTÒ ABOMINABILIS, QUANTÒ LAUDABILIS.

Quæ verò hujus rei causa sit, docet Homil. 26. in Evang, " Plerunque, ait, „ con-

„ contingit, ut hic judicii locum teneat, „ cui ad locum vita minimè concordat. „ AC SÆPE AGITUR, UT VEL „ DAMNET IMMERITOS, vel alios ipse „ ligatus solvat. . . . SÆPE FIT, ut erga „ quemlibet proximum ODIO VEL GRA- „ TIA MOVEATUR PASTOR: Judi- „ care autem de subditis dignè nequeunt, „ qui in subditorum causis sua vel odia vel „ gratiam sequuntur. Undè rectè per „ Prophetam dicitur: *Mortificabant animas,* „ *quæ non moriuntur*, & *vivificabant ani-* „ *mas quæ non vivunt.* Non morientem „ quippè mortificat, QUI JUSTUM „ DAMNAT.

Hanc vitæ ac morum justos inter & impios dissimilitudinem odii & persecutionis causam esse patet Sap. 2. ubi impii adversus justum sic concludunt: *Circumveniamus ergo justum*, *quoniam inutilis est nobis*, & CONTRARIUS EST OPERIBUS NOSTRIS. . . . *Gravis est nobis etiam ad videndum*, QUONIAM DISSIMILIS EST ALIIS VITA ILLIUS... *Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo*, & *abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis. . . . . Contumeliâ & tormento interrogemus eum. . . . Morte turpissimâ condemnemus eum.* Quibus verbis etsi præcipuè describantur consilia Judæorum adversus Christum, in quo ista impleta sunt; scribi tamen ea etiam voluit Spiritus Sanctus ad consolationem membrorum Christi, quæ usque ad consummationem sæculi futura sunt, & exempli Capitis sui, odia, persecutiones, contumelias, mortem, ab impiis patientur.

Siquidem uſque ad finem ſæculi quibusdam locis ac temporibus, etiam in Eccleſia, verum erit quod dixit Iſaias: CONVERSUM EST RETRORSUM JUDICIUM, ET JUSTITIA LONGE STETIT: *quia* CORRUIT IN PLATEA VERITAS, & *æquitas non potuit ingredi. Et facta eſt* VERITAS IN OBLIVIONEM, & QUI RECESSIT A MALO, PRÆDÆ PATUIT. Numquam etiam deerunt in Eccleſia, qui poſſint dicere: EXTRANEUS FACTUS SUM FRATRIBUS MEIS, ET PEREGRINUS FILIIS MATRIS MEÆ. Quâ ex cauſâ? *Quoniam zelus domus tuæ comedit me.*

Iſ. c. 59.

Pſ. 68.

Ibid.

At quâ de cauſâ ferre non potuerunt Magiſtri Veſtri Propoſitionem dicentem: *Nimis ſæpè contingit membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari, tanquam indigna ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata?*

III.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Status perſecutionis & pœnarum, quas quis tolerat, tamquam hæreticus, flagitioſus & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maximè meritoria, utpotè quæ facit hominem magis conformem Chriſto. Prop. 98.

Per-

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Status ille, ut ultima probatio fuit Christi & maximè meritoria, ita & ultima plerumque est membrorum Christi.

Ultimam illam sibi fore significabat Christus, cùm dicebat Apostolis: *Quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et* CUM INIQUIS DEPUTATUS EST. *Etenim ea quæ sunt de me finem habent.* Luc. 22.

Fuisse autem illam & maximè meritoriam, significare videtur Isaïas, dum ait: IDEÒ *dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia,* PRO EO QUOD TRADIDIT IN MORTEM ANIMAM SUAM, ET CUM SCELERATIS REPUTATUS EST. Is. 53. Atque idem insinuat Apostolus, ita scribens: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis:* PROPTER QUOD *& Deus exaltavit illum* &c. Philip. 2.

Cùm autem membra Christi conformari Christo oporteat, quidni quæ ultima & maximè meritoria fuit probatio in Christo, ultima etiam & maximè meritoria sit in membris Christi?

Hoc sanè Christus ipse Apostolis ad membrorum suorum solatium non semel significavit: BEATI, inquit, *eritis, cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobraverint,* ET EJECERINT NOMEN VESTRUM TANQUAM MALUM *propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate:* ECCE ENIM MER- Lucæ 6.

CES VESTRA MULTA EST IN COELO. *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum. Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut Magiſter ejus; & ſervo, ſicut Dominus ejus.* SI PATREMFAMILIAS BEELZEBUB VOCAVERUNT; QUANTÒ MAGIS DOMESTICOS EJUS? *Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt; & vos perſequentur.*

Math. 10.

Joan. 15.

Hoc ſolatiò Chriſtianos confirmabat Apoſtolorum Princeps, ſic ad eos ſcribens: *Chariſſimi, nolite peregrinari in fervore,* QUI AD TENTATIONEM *vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat: ſed* COMMUNICANTES CHRISTI PASSIONIBUS *gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* SI EXPROBRAMINI *in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam* QUOD EST HONORIS, GLORIÆ, ET VIRTUTIS DEI, ET QUI EST EJUS SPIRITUS, SUPER VOS REQUIESCIT.

1. Pet. 4.

Hoccine ſolatium piis Chriſtianis, qui cum Chriſto, tanquam hæretici, flagitioſi, & impii patiuntur, eripere voluêre Magiſtri Veſtri, condemnando propoſitionem quæ hoc illis ſolatii afferebat? Abſit ab illis conſilium tam impium: quamquam fateamur ingenuè, nos cauſam, ob quam eam condemnârint, non invenire.

IV.

IV.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque Discipulos. Tempus hoc advenit. . . . Haberi & tractari à Religionis Ministris, tanquam impium & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flammâ ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus alienâ, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus Diabolo Dei servum. Prop. 100.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Verè *deplorabile est tempus illud, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem, ejusque discipulos!* Tempus autem hoc advenisse, monet Christus Apostolos suos his verbis: *Absque Synagogis facient vos:* SED VENIT HORA, *ut omnis qui interficit vos,* ARBITRETUR OBSEQUIUM SE PRÆSTARE DEO. Joan. 16.

Monet & Joannes: *Filioli,* NOVISSIMA HORA EST: *& sicut audistis, quia Anti-Christus venit,* ET NUNC ANTI-CHRI- 1 Joan. 2.

STI MULTI *facti sunt: Undè scimus*, QUIA NOVISSIMA HORA EST.

Monet etiam Timotheum, & in Timotheo omnes Christi Ministros Apostolus: *Hoc autem scito, quòd* IN NOVISSIMIS DIEBUS *instabunt tempora periculosa. Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi. . . . Sine pace, criminatores. . . immites, ... Proditores, ... habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. . . . Tu autem assecutus es meam doctrinam. . . . patientiam, persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, & Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus.* ET OMNES QUI PIE VOLUNT VIVERE IN CHRISTO JESU, PERSECUTIONEM PATIENTUR.

2 Tim. 3.

Tempus autem illud, quod *horam* Christus, & *novissimam horam* Joannes, & *novissimos dies* vocat Apostolus, à prædicato per Apostolos Evangelio usque ad finem mundi decurrit.

Quàm multi verò sancti eo tempore extiterint, qui *ab ipsis Religionis Ministris habiti & tractati fuerint tanquam impii & indigni omni commercio cum Deo, tanquam membra putrida*, &c. patet ex Historia Ecclesiastica & vitis Sanctorum, ut hujus §. n. 3. suprà breviter ostensum est. Et si quis res, jam ab annis circiter sexaginta in Ecclesia ad hunc usque diem gestas, penitiùs scrutetur; deprehendet, nec eo tempore sanctos, qui à Religionis Ministris sic habiti & tractati sint, defuisse.

Frustrà autem *quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Reli-*

Religionis, persequendo flammâ ferroque viros probos, si propriâ passione est excæcatus, aut abreptus alienâ; propterea quod nihil vult examinare: Nam & sic sibi blanditi fuêre Judæi, *qui & Dominum occiderunt Jesum, & Prophetas, & Apostolos persecuti sunt, & Deo non placent.* 1 Thess. 2.

Scimus Persecutores ejusmodi, etsi obsequium se Deo præstare arbitrentur, non excusari à Magistris Vestris: sed cur propositionem, quæ persecutores istos redarguit, condemnent, nescimus.

§. XII.

De Excommunicatione.

Post condemnatas tot Fidei, Religionis, ac Moralis Christianæ veritates; post eversam Ecclesiæ de pœnitentia & administrando Pœnitentiæ Sacramento doctrinam ac disciplinam; post abusus qui in Ecclesia sunt, Sanctorumque Persecutores in tuto collocatos; quid reliquum erat, nisi ut via inveniretur, quâ hæc omnia recipere ac rata habere cogerentur omnes per orbem fideles?

Inventa est via per doctrinam novam de Excommunicatione, condemnatâ veteri.

Placuit primùm autoritatem excommunicandi vindicare primis Ecclesiæ Pastoribus, sine ullo consensu, nè præsumto quidem, totius corporis Deindè, Excommunicationis etiam injustæ metu desistendum esse ab implendo debito. Tum, non patiendam potius in pace Excommunicationem & Anathema injustum, quàm pro-

dendam veritatem. Poſtremò, non ſanare Jeſum vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio per Excommunicationem infligit ſine ipſius mandato.

Hic dogmatibus conſtitutis, nihil erit tam Sacris Litteris ac traditioni, nihil tam Fidei, Religioni, & Doctrinæ, ac Diſciplinæ Eccleſiæ adverſum, quòd viâ Excommunicationis compelli non poſſint fideles admittere. Nam ſi nè præſumpto quidem Eccleſiæ conſenſu opus ſit ad excommunicandum; debeatque Excommunicationis etiam injuſtæ metu deſiſti à debito implendo; debebunt ſanè doctrinam qualemcumque recipere vel condemnare fideles, modò eam metu Excommunicationis, etiam injuſtæ, recipere vel condemnare jubeantur.

Neque refert quod debeant pro fide, Religione, ac veritate tuendâ, loqui, agere, & pati fortiter: quia ab iſto etiam debito implendo deſiſti debebit metu Excommunicationis injuſtæ; non enim ſanabit Jeſus vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio, etiam ſine ipſius mandato, inflixit.

Nos à Magiſtris noſtris aliter inſtituti credimus, muneris noſtri eſſe, propoſitiones quatuor *de Excommunicatione*, quas Magiſtri Veſtri condemnarunt, aſſerere, nec metu Excommunicationis injuſtæ (adjuvante Deo) huic noſtro, quod Eccleſiæ & veritati debemus, officio deeſſe.

I.

I.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Ecclesia autoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis. Prop. 90.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Tria hic asserenda sunt. 1. Quòd autoritatem Excommunicandi habeat Ecclesia. 2. Quòd eam exerceat per primos Pastores. 3. Quòd eam exerceat de consensu saltem præsumpto totius Corporis.

1. Primum constanter asserit Augustinus, dum locis plurimis docet, potestatem clavium immediatè ac directè datam esse toti Ecclesiæ, quando Christus eam dedit Petro & aliis Apostolis.

„ Quando, inquit, ei (Petro) dictum est:
„ *Tibi dabò claves Regni cœlorum.* . . .
„ UNIVERSAM SIGNIFICABAT EC-
„ CLESIAM. . . . ECCLESIA ergo, Tract. 124.
„ quæ fundatur in Christo, claves ab eo in Joh.
„ Regni Cœlorum accepit IN PETRO, id
„ est, potestatem ligandi solvendique peccata.

„ Inter hos (Apostolos) penè ubique so-
„ lus Petrus TOTIUS ECCLESIÆ meruit
„ gestare personam. PROPTER IPSAM, Sem. 295.
„ PERSONAM QUAM TOTIUS ECCLE- aliàs 108.
„ SIÆ SOLUS GESTABAT, audire me- de div.
„ ruit: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Has enim

„ enim claves, NON HOMO UNUS,
„ SED UNITAS ACCEPIT ECCLE-
„ SIÆ. Hinc ergo Petri excellentia præ-
„ dicatur, QUIA IPSIUS UNIVERSI-
„ TATIS ECCLESIÆ FIGURAM
„ GESSIT, quando ei dictum est, TIBI
„ TRADO, QUOD OMNIBUS TRA-
„ DITUM EST. Nam ut noveritis, Ec-
„ CLESIAM ACCEPISSE CLAVES
„ Regni Cœlorum, audite quid Dominus
„ dicat omnibus Apostolis suis: *Accipite*
„ *Spiritum Sanctum:* Et continuò: *Si cui*
„ *dimiseritis peccata, dimittentur ei; si*
„ *cujus tenueritis, tenebuntur.* Hoc ad
„ Claves pertinet, de quibus dictum est:
„ *Quæ solveritis in terra* &c. . . . Sed
„ hoc Petro dixit: Ut scias, QUIA PE-
„ TRUS UNIVERSÆ ECCLESIÆ
„ PERSONAM TUNC GEREBAT, au-
„ di quid ipsi dicatur, quid omnibus fide-
„ libus sanctis: *Si peccaverit in te frater*
„ *tuus &c. . . . Amen dico vobis, quia*
„ *quæ ligaveritis in terra, ligata erunt in*
„ *Cœlo; & quæcumque solveritis in terra,*
„ *soluta erunt in Cœlo.* COLUMBA LI-
„ GAT, COLUMBA SOLVIT: ÆDI-
„ FICIUM SUPRA PETRAM LIGAT
Serm. 149. alias 24. de diverʃ. „ ET SOLVIT. Petrus multis in locis
„ Scripturarum apparet, QUOD PERSONAM
„ GESTET ECCLESIÆ, MAXIME IN IL-
„ LO LOCO: *Tibi trado Claves Regni Cœ-*
„ *lorum. . . .* Numquid istas Claves Petrus
„ accepit, & Paulus non accepit? Petrus
„ accepit, & Joannes & Jacobus non ac-
„ cepit, & cæteri Apostoli? Aut non sunt
„ istæ in Ecclesia Claves, ubi peccata quo-
„ tidiè dimittuntur? Sed quoniam in signi-
„ fica-

„ ficatione PERSONAM PETRUS GE-
„ STABAT ECCLESIÆ, quod illi uni
„ datum est, ECCLESIÆ DATUM
„ EST.

„ *Sicut misit me*, inquit, *Pater*, *&*
„ *ego mitto vos. Hoc cùm dixisset*, *inspi-*
„ *ravit & dixit illis : Accipite Spiritum*
„ *sanctum*, *si cui remiseritis peccata*, *remit-*
„ *tuntur illi* ; *si cujus tenueritis*, *tenebun-*
„ *tur*. Ergo si personam gerebant Eccle- Lib. 3. de Bap. cont. Donat. c. 18.
„ siæ (Apostoli) & SIC EIS HOC DIC-
„ TUM EST, TANQUAM IPSI EC-
„ CLESIÆ DICERETUR... PETRA
„ ENIM TENET, PETRA DIMITTIT:
„ COLUMBA TENET, COLUMBA
„ DIMITTIT: UNITAS TENET, U-
„ NITAS DIMITTIT.

Certa igitur Augustino doctrina est, quòd autoritatem excommunicandi habeat Ecclesia.

2. Sed quoniam Ecclesiæ Corpori non congruit, ut autoritatem illam exerceat per se totum; eligit quosdam, per quos eam excerceat, Ministros: quemadmodum v. g. Capitulum Cathedrale, sede vacante, Jurisdictionem habens Episcopi, vicarium aut vicarios generales eligit, qui eam exerceant nomine Capituli, aut potius illius Ecclesiæ quam Capitulum repræsentat.

Porrò inter Ministros istos Ecclesiæ primus loco, dignitate, ac Jurisdictione, sine controversia est summus Pontifex. Nam præterquam quod Jurisdictionem habeat in Diœcesim Romanam, ut Episcopus; in Provinciam Romanam, ut Metropolita; in Provincias suburbicarias, ut Primas; sitque Provinciarum Occidentis ve-

velut Exarcha: habet etiam autoritatem & Jurisdictionem in singulos totius mundi Episcopos, & singulas Ecclesias particulares, ut conservandæ doctrinæ ac disciplinæ ubique invigilet; atque ita singulorum Episcoporum Caput est: verùm non nisi Primus Minister, seu, Caput Ministeriale totius Ecclesiæ.

3. His constitutis, sequitur tertium: Ecclesiam per primos Pastores autoritatem excommunicandi exercere DE CONSENSU SALTEM PRÆSUMPTO TOTIUS CORPORIS.

Etenim si Corpus totum, Ecclesia tota, seu, ut loquitur Augustinus, *Columba*, *Petra*, *unitas*, tantùm habeat autoritatem excommunicandi sibi à Christo datam, ut propriam; singuli autem Episcopi eam solùm exerceant ut Ecclesiæ Ministri: " Per
Serm. 351. „ quos in Ecclesia Claves ministrantur, ait Augustinus; sequitur eam illos exercere non posse, nisi de consensu saltem præsumpto totius corporis. PRÆSUMPTO: id est, eâ prudentiâ, eâ æquitate, ut meritò præsumant, totum Ecclesiæ Corpus in Excommunicationem à se latam consentire. Ministris enim potestatem Domini exercere non licet, nisi cum ipsius, præsumpto saltem, consensu. *Quis, putas,*
Math. 24. *est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cùm venerit Dominus, invenerit sic facientem.... Si autem.... cœperit percutere conservos suos.... veniet Dominus servi illius.... partemque ejus ponet cum hypocritis.* Quia sine consensu Domini, vel præsump-

ſumpto, poteſtatem Domini exercuit, & conſervos percuſſit.

Conſenſum hunc requiri, exemplo ſuo docuit Apoſtolus, ubi non ſine conſenſu Eccleſiæ excommunicare ſe inceſtuoſum ſignificat: *Ego quidem*, inquit, *abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens eum qui ſic operatus eſt. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*, CONGREGATIS VOBIS ET MEO SPIRITU, *cum virtute Domini noſtri Jeſu tradere hujusmodi Satanæ.* " Vide, inquit Chryſoſtomus ad iſta verba, quemadmodum quoque EOS FACIAT SOCIOS JUDICII. 1 Cor. 5.

Rurſum Apoſtolus ubi inceſtuoſum abſolvit: *Sufficit*, inquit, *illi qui ejusmodi eſt objurgatio hæc, quæ fit à pluribus, ita ut è contrario magis* DONETIS, *& conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitiâ abſorbeatur qui ejusmodi eſt. Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum charitatem....* CUI AUTEM ALIQUID DONASTIS, *& ego.* Idem Chryſoſtomus: " Rurſum, EOS QUOQUE SOCIOS ADHIBET. . . . Totum iſtud EORUM ARBITRIO AC POTESTATI permittit. . . . SIMUL ET IPSIS ET SIBI eam (gratiam) vindicat, cùm ait: *Nam & ego ſi cui donavi propter vos, in perſona Chriſti.* 2 Cor. 2. In cap. 2. Epiſt. 2. ad Cor. Homil. 4.

Itaque juxta Chryſoſtomum Apoſtolus, non conſenſum ſolum in Eccleſia Corinthiorum agnoſcit, ſed & poteſtatem quamdam, quâ cum Paſtore ſuo inceſtuoſum excommunicat & abſolvit.

Hæc ſi mira fortaſſè Magiſtris Veſtris videri

deri poterant, condemnatione ſaltem digna videri non debebant.

II.

Propoſitio per Magiſtros Facultatis Theologicæ Lovanienſis Recentioris condemnata.

Excommunicationis injuſtæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Numquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus. Prop. 91.

Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ aſſerta.

1. *Quod Excommunicationis injuſtæ metus numquam debeat nos impedire ab implendo debito noſtro*, adeò eſt manifeſtum; ut quamquam nec Scripturas nec Patres haberemus, ſolum lumen naturale ſufficeret ad id demonſtrandum. Primum ſiquidem luminis naturalis principium eſt: NUMQUAM LICET PECCARE. Eodem lumine ſubſument omnes: *Atqui non implere debitum noſtrum, eſt peccare.* Eodem concludent: *Ergo Excommunicationis injuſtæ metus numquam debet nos ab implendo debito noſtro impedire.*

Ipſo etiam lumine naturali manifeſtior eſt hic Scriptura, mandans locis innumeris, ut debitum noſtrum impleamus, & ne illud omittamus, prohibens. *Obedire*, inquit, *oportet Deo magis, quàm hominibus.* (Act. 5.) Atqui

Atqui mandat Deus, ut debitum nostrum impleamus: Ergo illi magis obediendum est, quàm hominibus, volentibus nos Excommunicationis injustæ metu ab implendo debito nostro impedire.

Condemnat eos Scriptura peccati, qui ut è Synagoga non ejicerentur, Pharisæorum metu non confitebantur Christum, quem confiteri debebant: *Ex Principibus multi*, inquit Joannes, *crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur: Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Ergo & illi condemnandi sunt peccati, qui metu Excommunicationis injustæ, nè ejiciantur ex Ecclesia, debitum suum non implent: *Diligunt enim gloriam hominum* (aut aliud vitæ hujus commodum) *magis, quàm gloriam Dei.* Joan 12.

Manifesta etiam hìc est summorum Pontificum sententia, in jus Canonicum relata.

Gelasius: " Cui, inquit, est illata sententia, SI INJUSTA EST, TANTÒ EAM CURARE NON DEBET, quantò apud Deum & Ecclesiam ejus NEMINEM POTEST INIQUA GRAVARE SENTENTIA. Ita ergo eà se non absolvi desideret, QUA SE NULLATENUS PERSPICIT OBLIGATUM. " Apud Grat. p. 2. c. 11. q. 3. c. 46.

Innocentius III. suam etiam disertiùs sententiam pronuntiat. Mulier quædam deprehenderat matrimonium suum nullum esse ac irritum; recusabat marito suo debitum conjugale; ad judicem provocat maritus; jubetur mulier irritum esse matrimonium probare: probare in foro externo non

non poteft : damnatur ad debitum marito reddendum, fub pœna Excommunicationis : Interrogatur Pontifex, an debeat mulier fententiæ, quâ reftitutio adjudicatur marito, obedire? Qui nequaquam obediendum effe refpondet : " Fruftra, inquit, in tali cafu „ adjudicatur reftitutio fpoliato : CUM IL- „ LA CONTRA DEUM NON DEBEAT „ IN HOC JUDICI OBEDIRE, SED „ POTIUS EXCOMMUNICATIONEM „ HUMILITER SUSTINERE.

Cap. Literas extra de Reft. Spol. l. 2. tit. 13.

Nec minus difertè Gregorius : " Sicut „ exigente culpâ, inquit, quis à Sacramen- „ to Communionis dignè fufpenditur; ita „ infontibus nullo modo talis debet irrogari „ vindicta. Comperimus fiquidem, quòd „ Laurentius quondam Frater & Co-Epif- „ copus nofter nullis te culpis exigentibus „ communione privaverit; ideóque hujus „ præcepti noftri autoritate munitus, OF- „ FICIUM TUUM SECURUS PERAGE, „ & communionem fine aliqua fume for- „ midine.

Lib. 2. Ep. 26. ad Magnum.

Idem Gregorius : " Sciendum quòd „ nunquam per obedientiam malum fieri „ debet :

L. Mor. 25. c. 14. jam. n. 29.

Metus ergo Excommunicationis injuftæ non debet nos à debito implendo impedire, ex fummorum Pontificum fententiâ.

Quin, licèt ipfi fummi Pontifices indulgerent, vel etiam mandarent, ut à debito implendo defifteretur, obediendum non effe docet S. Bernardus Epift. 7. ad Adam Monachum, qui prætextu obedientiæ, & licentiæ obtentæ à fummo Pontifice, Monafterium cum aliorum fcandalo mutaverat : " Quod quidem audere, inquit, quis „ nifi

„ nisi amens dicere audeat bonum esse,
„ aut bonum fieri posse, QUANTÆLIBET DIGNITATIS HOMINE PRÆCIPIENTE. . . . Quomodo ergo vel Abbatis jussio, VEL PAPÆ PERMISSIO licitum facere valuit, quod purum. . . . malum fuit. . .? . . . Quod & vos quoque non immeritò timentes. . . . Apostolica conati estis delinire licentiâ. . . NUMQUID IDEÒ aut malum esse desit, aut vel minoratum est, QUIA PAPA CONCESSIT? Quis verò malum esse neget, assensum præbere malo? Quòd tamen summum fecisse Pontificem nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum? . . . . Sed quid ad me, inquis, ille viderit, cui mihi contradicere fas non erat. . . . . O Monachum obedientissimum. . . .! . . Non attendit quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus quia præcipitur. . . . Si ita oportet, deleamus jam de Libro Evangelii: *Estote prudentes sicut serpentes:* sufficiente quippè quod sequitur: *Et simplices sicut columbæ.* Nec dico à subditis mandata Præpositorum esse dijudicanda, ubi nîl juberi deprehenditur divinis contrarium institutis: sed NECESSARIAM ASSERO ET PRUDENTIAM, QUA ADVERTATUR, SI QUID ADVERSATUR, ET LIBERTATEM, QUA ET INGENUE CONTEMNATUR.

Ep. 7. n. 7. 8. 9. 12.

Sed etsi tot Sacrarum Litterarum, summorum Pontificum, & Sanctorum Patrum testimoniis, certa non esset condemnata à Magistris Vestris propositio: certissimam ta-

tamen esse vel indè constaret, quòd mala horrenda sequerentur, si vera esset illius contradictoria.

Si enim ***metus Excommunicationis injustæ impedire nos debet ab implendo debito nostro***, poterit Episcopus aliquis comminando & infligendo Excommunicationes injustas, omnem Ecclesiæ doctrinam & disciplinam in suâ Diœcesi evertere, & ne quis debitum suum adimpleat, impedire.

Sit v. g. Episcopus, ut esse potest, in Molinistarum scholâ ac doctrinâ semper enutritus, qui credat, Molinistarum de Gratia ac Prædestinatione doctrinam, esse de fide; contrariam verò, quæ SS. Augustini & Thomæ est, esse hæreticam: credat etiam, doctrinam ac disciplinam Ecclesiæ esse, quæ mox peccatoribus, modò dolere se asserant, absolutionem jubet impendi; quæ verò eam jubet paulisper differri, dum ex operibus constet de peccatoris conversione, sensui Ecclesiæ adversari. Edat is Decretum, quo Academiis, & omnibus in suâ Diœcesi Sacræ Theologiæ Magistris & Prælectoribus sub pœna Excommunicationis mandet, ut non aliam quàm Molinæ de Gratia & Prædestinatione doctrinam tradant; Discipulis verò, ut non aliam audiant: mandet insuper ut sub pœna Excommunicationis tradant doctrinam laxiorem de absolutione; tutiorem verò repudient: Addat, mandare se sub eadem pœna Pastoribus omnibus, Vice-Pastoribus, & confessariis, ut doctrinam illam sequantur in praxi, nullique absolutionem differant, modò dolere se asserat & emendationem proponere: quin & sub eâ-dem

dem pœnâ mandet omnibus verbi Dei Prædicatoribus, & in Concionibus & Catechismis, non aliam fidelibus doctrinam proponant. Quid hìc faciant Academiæ? Quid Sacræ Theologiæ Doctores ac Prælectores, Confessarii, verbi Divini Præcones?

R. Si metus Excommunicationis injustæ debeat eos à debito suo implendo impedire, debent isti omnes desistere à debito tradendi doctrinam veram ac salutarem; nec iis licebit doctrinam falsam ac perniciosam pro suo munere redarguere: dum interim Diœcesis tota pravitate doctrinæ, disciplinæ relaxatione, & morum corruptione, cum ingenti animarum detrimento sordescet.

Et quid, si ipse Romanus Pontifex edat Decretum vel Constitutionem ejusmodi, manderque ei sub Excommunicationis pœnâ per universam Ecclesiam obediri? Potest enim & ipse summus Pontifex enutritus esse in Scholis Molinistarum, & sic imbutus illorum principiis, ut doctrinam eorum credat esse doctrinam Ecclesiæ, doctrinam verò contrariam non dubitet esse hæreticam. Quid autem vetat, quominus quod credendum sensit semper anteà; nunc etiam Pontifex factus, toti Ecclesiæ credendum sub pœnâ Excommunicationis imponat? Horrendum est cogitare, quæ tunc per Ecclesiam universam, doctrinæ, disciplinæ, ac morum strages ederetur; si metus Excommunicationis injustæ deberet nos ab implendo debito nostro impedire.

Quamobrem, si ulla sit propositio quam condemnare non debebant Magistri Vestri, hæc certè condemnanda non erat, nè tantum inde periculum Ecclesiæ nasceretur.

2. At fortè condemnare eam placuit ob id quod sequitur: *Numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.*

R. Cùm hæc sit ipsa Patrum, ac præcipuè Augustini, doctrina, suspicari non audemus voluisse eos notam illi inurere.

Apud Gratianum Causâ 24. q. 3. c. 7.

Origenes: " Cùm, inquit, aliquis exit " à veritate, à timore Dei, à fide, à charitate, exit de castris Ecclesiæ; etiamsi " per Episcopi vocem minimè ejiciatur: " sicut è contrariò, dum aliquis non rectо " judicio foras mittitur, scilicet, si non " ante exierit, id est, SI NON EGERIT " UT MERERETUR EXIRE, NIHIL " LÆDITUR. Interdum enim QUI " FORAS MITTITUR, INTUS EST; " & qui foris est, intus retineri videtur.

In cap. 16. Matt. ad hæc verba, *Quodcumque ligaveris &c.*

Idem: " Haud secus ac EUM, QUI " FUNES PECCATORUM NON HABET, NE DEUS QUIDEM LIGET, " ITA NEC QUISQUIS PETRUS " FUERIT.

Hieronymus ad eadem verba: " Istum, " inquit, locum Episcopi & Presbyteri non " intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum " assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur: CUM APUD DEUM NON SENTENTIA SACERDOTUM, SED " REORUM VITA QUÆRATUR. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se Sacerdotibus, & " si lepram habuerint, tunc à Sacerdote " immundi fiant: non quo Sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quo

" ha-

„ habeant notitiam leprosi & non leprosi, „ & possint discernere, qui mundus quive „ immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit: sic & hìc alligat, vel solvit „ Episcopus & Presbyter, non eos qui insontes sunt, vel noxii: sed pro officio „ suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui ve solvendus.

Augustinus: " Illud planè non temerè „ dixerim, quòd si quisquam fidelium fuerit anathematus injustè, EI POTIUS „ OBERIT QUI FACIET, QUAM EI „ QUI HANC PATIETUR INJURIAM. Spiritus enim sanctus habitans „ in sanctis, per quem quisque ligatur aut „ solvitur, IMMERITAM NULLI POENAM INGERIT: per eum quippè diffunditur caritas in cordibus nostris, quæ „ non agit perperam. Ex Epist. ad Classicianum, cujus Fragmentum subnectitur Epistolæ 250. in nova Editione Augustini. Est etiam apud Gratianum Causâ 11. q. 3. c. 87.

Idem: " Spiritales, sive ad hoc ipsum „ pio studio proficientes, NON EUNT „ FORAS: Quia cùm aliquâ vel perversitate vel necessitate hominum VIDENTUR EXPELLI, ibi magis probantur, „ quàm si intus permaneant; cùm adversùs Ecclesiam nullatenus eriguntur, SED „ IN SOLIDA UNITATIS PETRA „ FORTISSIMO CARITATIS ROBORE RADICANTUR. Lib. 1. de Bap. cont. Donat. c. 17.

Habetis hic ipsissimam ex Augustino propositionis à Magistris Vestris condemnatæ doctrinam.

III.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Pati potiùs in pace Excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra autoritatem, aut scindere unitatem. Prop. 92.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

Certum est apud omnes, ipsos adeò Magistros Vestros, numquam licitum esse prodere veritatem: si autem numquam licitum sit prodere veritatem; pati oportet potiùs in pace Excommunicationem & Anathema injustum, quàm eam prodere.

Neque rarò id accidit: nam, teste Augustino, " Sæpè sinit Divina Providentia, " per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de Congregatione Christianorum, etiam bonos " viros. Quam contumeliam vel injuriam " suam cùm patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel " schismatis vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quàm vero affectu & " quanta sinceritate caritatis Deo serviendum sit. Talium ergo virorum propositum est, aut sedatis remeare turbinibus, aut si id non sinantur, vel eâdem " tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis aut sævior oriatur, tenent vo- " lun-

De vera Religione c. 6.

„ luntatem consulendi etiam eis ipsis, quo-
„ rum motibus perturbationibusque cesse-
„ runt, sine ulla Conventiculorum segre-
„ gatione usque ad mortem defendentes,
„ & testimonio juvantes eam fidem, quam
„ in Ecclesia Catholica prædicari sciunt.
„ Hos coronat in occulto Pater, in oc-
„ culto videns. Rarum hoc videtur ge-
„ nus, sed tamen exempla non desunt:
„ imò plura sunt, quàm credi potest.

Condemnari ergo à Magistris Vestris non potuit propositio eò quòd asserat, *pati potius oportere Excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem.*

Quid ergo? Fortè censurâ dignum videbatur, *quod hoc sit*, ut ait propositio, *imitari sanctum Paulum.* Neque enim de Paulo usquam legitur, quòd passus potiùs in pace fuerit Excommunicationem & anathema injustum, quàm veritatem proderet.

R. Indigna Sacræ Theologiæ Magistris cavillatio! Si Excommunicationem propriè passus non sit Paulus; majora certè Excommunicatione, & Excommunicationi simillima passus est. Legantur Acta Apostolorum cap. 21. Ubi *apprehendentes Paulum, trahebant eum extra Templum; & statim clausæ sunt januæ. . . . Sequebatur multitudo populi, clamans:* TOLLE EUM & cap. 24. *Invenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Judæis in universo Orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum: qui & Templum violare conatus est, quem & apprehensum voluimus secundùm legem nostram judicare.*

 Lega-

2 Cor. 11. Legatur & ipse Paulus de se scribens, *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas unâ minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum.* & 1 Cor. 4. *Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris:* MALEDICIMUR ET BENIDICIMUS, PERSECUTIONEM PATIMUR ET SUSTINEMUS, BLASPHEMAMUR ET OBSECRAMUS: TANQUAM PURGAMENTA HUJUS MUNDI FACTI SUMUS, OMNIUM PERIPSEMA USQUE ADHUC. Numquid ergo, qui pati malunt in pace Excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem, meritò dicuntur imitari Sanctum Paulum, qui tantam maluit in pace pati persecutionem, quàm prodere veritatem Evangelii? Et quid, quòd etiam ANATHEMA pro fratribus optaret esse Paulus Rom. 9. hoc est, interprete Hieronymo, haberi ut maledictus & impius, mortem ignominiosam, Christi exemplo, pro fratribus patiendo? Hieronymi verba sunt: " Pro fratrum salute ANATHEMA „ esse cupit, imitari volens Dominum „ suum, qui & ipse, cùm non esset male-
Gal. 3. „ dictio. *Quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno.*

Quid desiderari poterat amplius, ut *qui pati malunt in pace Excommunicationem & Anathema injustum, quàm veritatem prodere*, dicerentur imitari Sanctum Paulum? Et

Et tamen virgam Magistrorum Vestrorum evadere non potuit innocens propositio.

IV.

Propositio per Magistros Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnata.

Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato : Jesus restituit quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt. Prop. 93.

Per Discipulos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Antiquæ asserta.

1. Quòd præceps Primorum Pastorum festinatio infligat quandoque vulnera sine Jesu Christi mandato, & inconsiderato zelo aliquid, vel aliquem etiam per ipsam Excommunicationem rescindant ; & Patres, & Primi Ecclesiæ Pastores, & Synodus Tridentina agnoscunt.

Origenes : " Interdum fit ut aliquis non „ recto judicio eorum qui præsunt Eccle- „ siæ, depellatur & foras mittatur. Homil. 14. in cap. 24. Lev.

Augustinus Auxilium Episcopum monet, ut aut anathematis sententiam rescindat, aut doceat quibus adductus causis putet, ob unius peccatum totam se familiam excommunicare potuisse : " Classicianus, in- „ quit, graviter apud me litteris questus „ est, ... venerationem tuam ita sibi „ succensuisse, ut. . . . cum omni domo „ sua anathematis sententiâ feriretur. . . . „ Quibus litteris ejus lectis. . . tacere non „ potui ; ut si habes de hac re sententiam, Epist. 250. alias 75.

„ certis rationibus vel ſcripturarum teſti-
„ moniis exploratam, nos quoque docere
„ digneris, quomodo rectè anathemetur
„ pro Patris peccato filius, aut pro mariti
„ uxor, aut pro Domini ſervus... Ego...
„ ſi quis ex me quærat, utrum rectè fiat,
„ quid ei reſpondeam non invenio; num-
„ quam hoc facere auſus ſum, cùm de
„ quorumdam facinoribus immaniter ad-
„ verſus Eccleſiam perpetratis, graviſſimè
„ permoverer. ... Si ergo de hac re potes
„ reddere rationem, utinam & nobis reſ-
„ cribendo præſtes, ut poſſimus & nos: ſi
„ autem non potes, quid tibi eſt INCON-
„ SULTA COMMOTIONE ANIMI fa-
„ cere, undè ſi fueris interrogatus, rectam
„ reſponſionem non vales invenire. ...
„ Fac quod ſanctum virum facere oportet,
„ ut ſi tibi contigit tanquam homini....
„ *Turbatus eſt præ ira oculus meus*, excla-
„ mes ad Dominum, *Miſerere mei, Domi-*
„ *ne*, *quoniam infirmus ſum*. ... Nec
„ arbitreris ideò nobis non poſſe ſubrepere
„ INJUSTAM COMMOTIONEM, quia
„ Epiſcopi ſumus: ſed potius cogitemus
„ inter laqueos tentationum nos periculo-
„ ſiſſimè vivere, qui homines ſumus. Au-
„ fer itaque Geſta Eccleſiaſtica, quæ PER-
„ TURBATIOR FORTASSE FECI-
„ STI.

Lib. 2. Epiſt. 26. ad Magnum.

Gregorius: " Comperimus, inquit,
„ quòd Laurentius quondam frater & Co-
„ Epiſcopus noſter NULLIS TE CUL-
„ PIS EXIGENTIBUS COMMUNIO-
„ NE PRIVAVERIT: ideóque hujus præ-
„ cepti noſtri auctoritate munitus, offi-
„ cium tuum ſecurus perage, & com-
„ mu-

„ munionem sine aliqua sume formidine.

Præcipitem ergo esse Primorum Pastorum in vulneribus infligendis quandoque festinationem, & inconsideratum in rescindendo zelum, ignorare non debebant Magistri Vestri: vel si ignorabant, discere poterant ex Synodo Tridentinâ quæ ait: „ Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, continendos in Officio populos valdè salutaris; SOBRIE TAMEN MAGNAQUE CIRCUMSPECTIONE exerendus est: CUM EXPERIENTIA DOCEAT, SI TEMERE AUT LEVIBUS EX CAUSIS incutiatur, magis contemni quàm formidari; & perniciem potiùs parere, quàm salutem. Non diceret Synodus, EXPERIENTIAM ID DOCERE; nisi essent quandoque Primi Pastores, qui *præcipiti festinatione* vulnera infligant, & *inconsiderato zelo* aliquos rescindant. Sessi. 25. De Reform. c. 3.

2. Quòd verò Jesus quandoque sanet vulnera sic inflicta, ac restituat quod rescissum est, ipse ostendit in Cæco nato, quem cæca Pharisæorum præcipitatio è Synagoga ejecerat. *Audivit Jesus, quia ejecerunt eum foras, & cùm invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.* Joan. 9.

Sanat etiam Jesus quandoque per alios Ministros prudentes & fideles, quod per

 alios

alios præcipitantius & inconſideratius inflictum eſt. Sic per Auguſtinum ſanavit vulnus, quod Claſſiciano, totique ejus familiæ, inflixerat Auxilius Epiſcopus, ut patet ex Epiſtola Auguſtini 250. antè citata. Sic per Gregorium ſummum Pontificem ſanavit vulnus, quod MAGNO inflixerat Laurentius, ut etiam ex citata mox Gregorii Epiſtola ante vidimus.

Poſtremò vulnus inflictum ſanat Jeſus in *viris bonis*, quos, teſte Auguſtino: " Sæpè ſinit Divina Providen-
De vera Relig. c. 6.
" tia. . . . . expelli de Congregatione
" Chriſtianorum. . . . QUAM CONTUMELIAM VEL INJURIAM SUAM CUM PATIENTISSIME TULERINT, neque ullas novitates vel ſchismatis vel hæreſis moliti fuerint, docebunt homines, quàm verò affectu & quantâ ſinceritate charitatis Deo ſerviendum ſit. . . . Uſque ad mortem defendentes, & teſtimonio juvantes eam fidem, quam in Eccleſia Catholica prædicari ſciunt. Hos CORONAT IN OCCULTO PATER, in occulto videns. In his, inquam, viris Jeſus vulnus inflictum ſanat per ſuam gratiam, quâ facit ut *patientiſſimè ferant contumeliam & injuriam Excommunicationis, & conſtanter uſque ad mortem in fide Eccleſiæ Catholicæ perſeverent:* Sanat & Pater in occulto per conſolationem interiorem, & ſpem coronæ, quam repromiſit diligentibus ſe, quamque ipſi, cùm probati fuerint, accipient.

Hanc ſanationem injuſtè Excommunicatis eripere voluiſſe videntur Magiſtri Ve-
ſtri,

ftri, dum condemnârunt propositionem, quæ istam ipsis in Jesu Salvatore suo spem relinquebat. Fatemur enim ingenuè, aliud nos, quò tendat propositionis condemnatio, non invenire.

Sed neque invenîmus, quò tendat condemnatio propositionum præcedentium, de Excommunicatione; nisi ut viâ & vi Excommunicationis, quantumvis injustæ, opprimantur viri boni, quos sæpè sinit Divina Providentia è Congregatione Christianorum ejici; & sic opprimantur, ut & à debito suo debeant desistere, & muti tolerare, ut condemnatâ ab Episcopis quibusdam (Molinistarum Discipulis dicam, an Patronis?) Scripturarum Sanctorumque Patrum doctrinâ ac disciplinâ Ecclesiæ, nova circa fidem ac mores dogmata, cum tristi animarum strage, nullo contradicente, in Ecclesiam invehantur.

CAPUT SECUNDUM

Ubi

Exhibentur atroces calumniæ, quibus Eximii Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris Magistri Considerationum Auctorem, Propositiones ipsius, & Librum proscindunt.

PArum fuit Magistris Vestris, *Theologi Academici*, in tot propositionibus condemnasse, & præcipua dogmata Fidei ac Religionis Catholicæ, & prima doctrinæ Moralis vitæque Christianæ principia, & summa Ecclesiasticæ Disciplinæ capita; nisi etiam propositionum, quas condemnant, Auctorem, diris calumniis proscinderent; propositiones ipsius in pravos sensus detorquerent; &, librum ipsius ut nefariis erroribus plenum condemnarent.

„ Constitutionem UNIGENITUS, inquiunt in sua DECLARATIONE ab „ initio, etiam ante publicationem jussu „ superiorum Lovanii factam, OMNES „ ET SINGULI AMPLEXI SUMUS, „ PURE, SIMPLICITER, SINE HÆ„ SITATIONE, SINE EXCEPTIONE. Inferre liceat:

Ergo etiam OMNES ET SINGULI PURE, SIMPLICITER, SINE HÆSITATIONE, SINE EXCEPTIONE, SINE

NE EXPLICATIONE AMPLEXI SUNT calumnias & contumelias omnes, quibus *Considerationum* Auctorem, propositiones ipsius, ac librum *Constitutio* traducit.

Exhorrescimus dum eas Magistris Vestris exhibere cogimur: sed exhibendas illis putamus, ut earum atrocitate perspectâ, moveantur fortasse, tum ad injuriam quam innocenti intulerunt, reparandam; tùm ad consulendum saluti suæ, quam *Maledici*, monente Apostolo, non consequentur.

§. I.

Refelluntur calumniæ atroces, quibus à Magistris Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris, Auctor Considerationum traducitur.

I.

Recensentur Calumniæ.

Dum *purè*, *simpliciter*, *sine hæsitatione*, *sine exceptione*, *sine explicatione* Constitutionem UNIGENITUS Magistri Vestri amplectuntur; hœ**sum se calumniarum reos *purè*, *simpliciter*, *sine hæsitatione*, *sine exceptione* constituunt.

1. Quòd propositionum Auctor sit *falsus Propheta, qui venit ad nos in vestimentis ovium.*

2. Quòd sit *Magister mendax & in deceptione illusor, qui splendidâ pietatis specie prava dagmata latenter insinuat.*

3. Quòd *introducat sectas perditionis sub imagine sanctitatis.*

4. Quòd, *ut facilius incautis obrepat, quasi deponat lupinam pellem, & sese divinæ legis sententiis, velut quibusdam ovium velleribus obvolvat.*

5. Quòd *Sanctarum Scripturarum, adeóque etiam ipsius novi Testamenti verbis, nequiter abutatur.*

6. Quòd *Sanctarum Scripturarum, adeóque etiam ipsius novi Testamenti verba, multipliciter in suam aliorumque perditionem depravet.*

7. Quòd *ab antiquo mendacii parente progenitus sit.*

8. Quòd *ejusdem parentis exemplo ac magisterio edoctus sit, nullam omninò esse ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut, ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.*

II.

Calumniarum Atrocia.

Atrociora vel de Hæresiarcha aliquo professò dici non poterant. Quid enim de eo dici posset amplius, quàm esse, *Falsum Prophetam? Magistrum mendacem? In deceptione illusorem? Introducentem sectas perditionis? Qui ut faciliùs incautis obrepat, quasi deponat lupinam pellem, & sese divinæ legis sententiis, velut quibusdam ovium velleribus obvolvat? Qui Sanctarum Scripturarum verbis nequiter abutatur? Qui ea multipliciter in suam aliorumque perditionem depravet? Qui ab antiquo mendacii parente progenitus sit? Qui ejusdem exemplo ac Magi-*

Magisterio edoctus sit, nullam esse ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut, ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi Divinorum verborum prætendatur auctoritas?

Tantarum calumniarum atrociam aliis verbis explicare aut exhibere velle, diminuere est. Exhauserant Rhetoricæ suæ fontes, qui eas fabricârunt; ut calumniarum atrociæ par sit atrocia verborum.

III.

Calumniarum Iniquitas.

Eò gravior est calumniarum iniquitas, quò spectatior est virtus, & illustrior fama illius qui calumniis impetitur. Quis verò, quantusve sit qui hic impetitur, jam Orbi Litterario innotescere cœpit ab anno 1675. quo edidit MAGNI LEONIS OPERA, adjectis DISSERTATIONIBUS sedecim eruditione plenis, & NOTIS in Epistolas S. Leonis doctissimis & utilissimis. Indè perrexit, ut cœperat, Sanctarum Scripturarum lectioni ac meditationi assiduæ; studio Sanctorum Patrum, Conciliorum, & Sacrorum Canonum indefesso; Orationi, pro suâ ad Oratorium Vocatione, continuæ; scribendis libris, qui doctrinam & eruditionem singularem, pietatemque & sanctitatem eximiam spirant, vitam suam consecrare, consecratque etiamnum strenuè, annos natus octoginta tres: neque ullus umquam vitam illius aut famam vel sinistræ suspicionis rumor aspersit

Vel ipsa calumnia pietatis ac sanctitatis ip-

ipsius testis est : quæ dum nihil prorsus in ejus vita deprehendere potuit, quod carperet; novâ calumniâ ipsam illius pietatem ac sanctitatem vertit in crimen: pietatemque, *splendidam pietatis speciem*; & sanctitatem, *imaginem sanctitatis* appellat. Qui SPLENDIDA, inquit, PIETATIS SPECIE *prava dogmata latenter insinuat*, & *introducit sectas perditionis* SUB IMAGINE SANCTITATIS. *Pietatem* ergo & *sanctitatem*, saltem externam, in Autore Propositionum vel calumnia agnoscit. Ex pietate autem & sanctitate externâ debebat juxta Evangelium internam cognoscere: Nam *à fructibus eorum cognoscetis eos.* Verùm contra Evangelium ratiocinari placuit calumniæ; & ex pietate externa non inferre, nisi SPLENDIDAM PIETATIS SPECIEM; ex sanctitate autem externâ, non nisi IMAGINEM SANCTITATIS.

Math. 7.

Ibidem.

Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? . . . Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. . . . Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Fructus mali, sunt opera mala; fructus boni, opera bona. Opera bona, saltem externa, in Auctore propositionum calumnia confitetur : neque enim posset alioquin *splendidam pietatis speciem*, & *imaginem sanctitatis* in ipso agnoscere. Opera mala invenire in ipso non potuit: non enim ea tacuisset calumnia, si vel per speciem invenire potuisset. Debuit ergo ex fructibus pietatis ac sanctitatis externis, pietatem etiam & sanctitatem internam cognoscere.

IV.

IV.

Crescit calumniarum iniquitas ex detrimento, quod Ecclesiæ & Animarum saluti per eas illatum est.

Fructum incredibilem per Ecclesiam ferebant *Morales in Novum Testamentum Considerationes*, gallicè editæ, & à pluribus Gallicæ Episcopis clero & populo cùm summa laude commendatæ. E Gallia circumquaque diffusæ sunt, locis variis recusæ sæpius, expetitæ ab omnibus avidè, & in Academia præsertim Lovaniensi cum Approbatione singulari acceptæ, lectæque ab omnibus qui gallicè noverant. Ut autem ad plures earum fructus perveniret, latinè eas è gallico verterunt Theologi Lovanienses, ipsique testes sumus, quantum in veritatum Christianarum scientia, solidâque pietate Academici, aliique per Belgium Clerici, Presbyteri, Pastores, & per hos populus fidelis, ex iis profecerint.

Tantum fructum, quod in ipsis est, suffocârunt Magistri Vestri, dum Autorem quidem *Considerationum* traducunt, ut *falsum Prophetam, Magistrum mendacem, in deceptione illusorem, introducentem sectas perditionis, ab antiquo mendacii parente progenitum, ejusdem exemplo ac magisterio edoctum*; *Considerationes* verò illius quasi eò compositas, *ut faciliùs incautis subrepat, & nefarii erroris fraudulentiam sub prætensâ Divinorum verborum auctoritate* expeditiùs *introducat, ipsius Novi Testamenti* ver-

verbis nequiter abusus, eaque multipliciter in suam aliorumque perditionem depravans.

V.

Augetur calumniarum iniquitas ex violato ordine Juris naturalis, Divini ac humani.

Jus naturale, divinum ac humanum vetat, ne quis condemnetur inauditus, præcipuè si audiri postulaverit.

Audiri postulaverat *Considerationum* Auctor in sua ad SS. D. N. Clementem XI. Epistola, humillimè supplicans his verbis: „ Ad Sanctitatis vestræ pedes animo prostratus, Beatissime Pater, triplex ab illa beneficium supplex exposco.

„ Tertium est momenti longè gravioris, „ quod, Beatissime Pater, à clementia & „ æquitate vestra instantissimè flagito (ne „ scilicet inauditus & indefensus condemner. Si enim justæ defensioni locus ipsis etiam sceleratis, vel apud gentes immanitate barbaras, semper reservatur, „ quantò æquius est, ab Apostolica sede „ non damnari sacerdotem inauditum, hac „ præsertim occasione, ubi non de obscuro „ quodam ac nullius momenti libello agitur, sed de eo libro qui autoritatem jam „ obtinuit, longo fidelium usu corroboratam, legitimorumque superiorum ac gravissimorum Episcoporum & Theologorum „ approbatione confirmatam; quo judicio „ periclitante, simul totius ferè Galliæ, „ quæ librum hunc sine offensione per annos plusquam quadraginta legit, judicium in discrimen adducitur.

„ Ad-

„ Advolutus igitur animo ad Sanctitatis
„ Vestræ pedes enixè supplico, ut clemen-
„ tia vestra jubeat communicari mecum
„ ac declarari mihi propositiones quæ sigil-
„ latim excerptæ, & quasi censurâ dignæ,
„ ad Apostolicum vestrum judicium dela-
„ tæ sunt, ut si aliqua propositio sit, aut
„ manifestè erronea, aut quæ ad errorem
„ vel tendat vel tendere posse videatur,
„ eam absque ambiguitate aut tergiversatio-
„ ne vel retractem vel explicem; ne quis
„ de doctrina aut mente mea, aut de vero
„ ac genuino libri mei sensu dubitandi lo-
„ cus supersit, undè facti quæstio rursum
„ enascatur.

Sic sanctissimo Domino supplicavit *Considerationum* Auctor; sed frustrà. Ita enim aures illius obsederant accusatores & æmuli, ut ne audiendum quidem esse Accusatum, quamtumvis postularet; sed inauditum ac indefensum condemnandum, contra fas omne persuaderent.

Non ignorârunt hoc, aut certè ignorare non debebant, Magistri Vestri. Et tamen sententiam contra inauditum latam *purè*, *simpliciter*, *sine hæsitatione*, *sine exceptione*, *sine explicatione*, probârunt confirmâruntque: non atrocissimarum tantùm calumniarum rei; sed & juris naturalis, Divini, ac humani violatores, qui Presbyterum non auditum tam atrociter condemnent.

VI.

VI.

Accedit ad cumulum iniquitatis, quòd de internis etiam, quæ Deo soli nota sunt, judicetur Considerationum Auctor.

Judicium de internis, quod nè Ecclesia quidem sibi adscribit, arrogant sibi Magistri Vestri.

Accipite verba, quæ *purè*, *simpliciter*, *sine hæsitatione*, *sine exceptione*, *sine explicatione*, omnes & singuli amplectuntur: UTQUE FACILIUS INCAUTIS SUBREPANT, *quasi deponentes lupinam pellem, & sese divinæ legis sententiis, velut quibusdam ovium velleribus obvolventes, sanctarum scripturarum, adeóque etiam ipsius Novi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur.... edocti nullam omninò esse ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut, ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.*

Hæc ergò mens, hic animus, hoc consilium fuit Auctoris *Considerationum* (si qua fides Magistris Vestris) INCAUTIS SUBREPERE, ET NEFARII ERRORIS SUBINTRODUCERE FRAUDULENTIAM; idque ut præstaret FACILIUS ET EXPEDITIUS, deponere *lupinan pellem, & sese divinæ legis sententiis, velut quibusdam ovium velleribus obvolvere; Sanctarum Scripturarum verba multipliciter depravare; nequiter iis abuti; & Divinorum verborum auctoritatem prætendere.*

Hæc

Hæc malitia, non hominis, sed dæmonis est: quæ quâ malitiâ adscribatur, non homini solùm, sed & Presbytero, viderint illi qui adscribunt. Adscribere saltem non debuerant Magistri Vestri, qui ex *Epistola* Auctoris ad SS. D. N. Clementem XI. discere potuerant non nisi approbantibus, & veluti impellentibus Cardinalibus & Episcopis, MORALES eum *in Novum Testamentum* CONSIDERATIONES edidisse, quod eas ipsi ad ædificationem Cleri & populi utiles judicarent.

„ De hoc, inquit, in Novum Testa-
„ mentum opere, cui Deus ab annis plus-
„ quam quadraginta, ultrà quam præsume-
„ re fas erat, benedixit, non adeò confi-
„ denter loqui auderem, nisi certissimè
„ mihi conscius essem, nihil studii ac la-
„ boris à me esse prætermissum, ut liber
„ ad informandam pietatem præcipuè scrip-
„ tus, à certâ constantique norma fidei,
„ quam Romana ac Catholica profitetur
„ Ecclesia, nulla in re deflecteret. . . .

„ Librum ipsum, antequam prodiret in
„ lucem, Episcoporum autoritati & arbi-
„ trio plenè subjeci. . . .

„ Primus libri patrocinium in se susce-
„ pit Illustrissimus piæ & sanctæ memoriæ
„ Dom. Felix Vialart, Episcopus Catalau-
„ nensis, qui & à tota Gallia, & ab Apo-
„ stolica sede, sæpius singularem pietatis,
„ doctrinæ, prudentiæ laudem consecutus
„ est. . . .

„ Illustrissimi ac dignissimi ejus in Ca-
„ talaunensi sede successores, cùm Librum
„ hunc jam per aliquot annos non sine
„ fructu lectum esse intellexissent, eundem
„ rur-

„ rursus examinatum, & ad regulam fidei „ probatum, Clero populoque Catalaunensi „ denuò commendârunt.

„ Ab ea Sede ad Parisiensem Apostolicâ „ Autoritate translatus Eminentissimus modò S. R. Ecclesiæ Cardinalis, Ludovicus „ Antonius de Noailles, librum hunc „ non invexit in Diœcesim suam, sed dis„seminatum invenit, & omnium mani„bus jam tritum, sciente & comprobante „ Illustrissimo ejus Decessore Francisco de „ Harlai. . . . Accessit tamen huic operi „ nova autoritas novaque commendatio, „ accedente ad regimen Ecclesiæ Parisien„sis novo Archi-Episcopo, à quo Librum „ hunc summopere comprobari nemo igno„rabat. Cùm enim inter cæteros Galliæ „ Antistites nemo pietati magis addictus „ haberetur, nemo purioris doctrinæ stu„diosus magis, quàm Illustrissimus idem „ Archi-Episcopus (quod etiam judicio suo „ confirmavit Sanctitatis Vestræ Decessor, „ felicis memoriæ Innocentius Papa XII. „ dum eum, totâ applaudente Galliâ, in „ sacrum Cardinalium Collegium coopta„vit) tum eò avidius legi cœptus est li„ber, quo securiùs & utiliùs legi posse vi„debatur, præsertim cùm Illustrissimus „ Archi-Episcopus nomen suum inscribi „ permisisset, atque præfixum voluisset „ Mandatum, quod ad commendationem „ libri dederat Catalauni die 23. Junii „ *1695*. paulò antequam ad sedem Parisien„sem vocaretur.

„ Obmurmurârunt sane nonnulli. At „ piissimus Antistes, qui non modò pietati „ consultum volebat, sed etiam paci &

„ cha-

„ charitati, Librum hunc sæpius jam examinatum, à se denuo relectum, iterum „ recenseri voluit, & etiam, ne minimus „ seu justæ seu injustæ offensioni locus „ superesset, emendari à selectis quibusdam Sorbonæ Doctoribus aliisque Theologis, mihi prorsus ignotis, nec operi, nec Autori plus æquo faventibus, qui librum, ad severius examen „ revocatum, de novo, ubi libitum fuit, „ correxerunt, inconsulto me quidem, „ non tamen refragante; cùm Librum non „ tam meum reputarem, quàm Illustrissimorum Antistitum, quorum judicio, „ arbitrio, correctioni totum opus jamdiu „ permiseram. . . .

„ Addam, Sanctissime Pater, Illustrissimi ac sanè piissimi Episcopi Lemovicensis, Domini d'Urté, gravissimum judicium, qui cùm operis hujus assiduam „ lectionem, sibi, ut & aliis Episcopis non „ paucis, familiarem, utilissimam Pastoribus omnibus judicaret, summoperè „ optavit, ut excerperentur ea quæ ad „ Epistolas & Evangelia dierum Dominicorum & Festorum pertinent, atque exiguo „ volumine typis ederentur, quò viliore „ pretio possent ab omnibus Parochiarum „ Rectoribus comparari.

„ Eadem quoque mens fuit Illustrissimi „ Tullensis Episcopi, nunc Meldensis, „ D. Henrici de Bissi, qui cùm brevem Catologum texeret eorum Librorum, quos „ Pastoribus aliisque sacerdotibus absolutè „ necessarios judicabat, & à quibus habendis & legendis neminem prorsus eximebat, inter alios libros nono loco appel-

„ la-

,, labat, ut minùs ſapiens refero) *Conſidera-*
,, *tiones Morales in Novum Teſtamentum,*
,, *Autoritate ac Mandato Illuſtriſſimi ac*
,, *Reverendiſſimi D. Epiſcopi Catalaunenſis*
,, *typis editas:* & ne quisquam ignorantiæ
,, prætextum obtendere poſſet, voluit ea
,, de re Monitionem peculiarem inſeri Di-
,, rectorio, ſeu, Ordini Divini Officii re-
,, citandi, ad uſum Eccleſiæ Tullenſis anni
,, 1696. & 1697. indicto.

,, Ad has omnes autoritates, ſanctiſſi-
,, me Pater, cumulus accedit Illuſtriſſimi
,, D. Jacobi Benigni Boſſuet, Meldenſis
,, nuper Epiſcopi, non autoritas tantùm,
,, ſed operis ipſius brevi ſcripto, quod ante
,, duos annos editum eſt, ſuſcepta defen-
,, ſio &c.

Quærimus à Magiſtris Veſtris, an is, *qui Librum ſuum, antequam prodeat in lucem, Epiſcoporum autoritati & arbitrio plenè ſubjicit*, ullâ veri ſpecie dici poſſit ſcripſiſſe, *ut incautis ſubreperet, & nefarii erroris ſubintroduceret fraudulentiam?*

Quærimus, an ſine gravi injuriâ dici poſſit, quòd tam *incauti* fuerint plures Cardinales & Epiſcopi, doctrinâ & pietate celebres, ut non animadverterint, *illum eſſe Magiſtrum mendacem, & in deceptione illuſorem, qui ſplendidâ pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuans*, introducat ſectas perditionis *ſub imagine ſanctitatis? Qui ut faciliùs incautis ſubrepat, quaſi deponens lupinam pellem, & ſeſe divinæ legis ſententiis, velut quibusdam ovium velleribus obvolvens, ſanctarum ſcripturarum, adeóque etiam ipſius Novi Teſtamenti verbis nequiter abutatur, eaque multipliciter in ſuam alio-*
rum-

rumque perditionem depravet? Qui antiquo mendacii parente progenitus sit, & ejusdem parentis exemplo ac magisterio edoctus, prætensa Divinorum Verborum Auctoritate, expeditiùs nefarii erroris subintroducere fraudulentiam?

Quærimus, an sine atrocissima contumelia dici possit, quòd Librum Viri tam perditi, Librum *Magistri mendacis & in deceptione Illusoris*, Librum Viri *ab antiquo mendacii parente progeniti, ejusdemque exemplo ac magisterio edocti*, Librum *prava dogmata latenter insinuantem, introducentem sectas perditionis, Sanctarum Scripturarum verbis nequiter abutentem, & depravantem ea multipliciter*, Librum *introducentem nefarii erroris fraudulentiam*, in suum patrocinium susceperit Illustrissimus piæ & sanctæ memoriæ D. FELIX VIALART Episcopus Catalaunensis? Quòd Illustrissimi ac Dignissimi ejus in Catalaunensi Sede successores Clero populoque eum denuò commendaverint? Quòd illum legi in sua Diœcesi probârit Illustrissimus Archi-Episcopus Parisiensis DE HARLAI? Quòd Eminentissimus Cardinalis DE NOAILLES, Harlæi in sede Parisiensi successor, nomen suum illi inscribi permiserit, ac præfixum voluerit Mandatum, quod ad commendationem Libri jam antè dederat Catalauni? Quòd Illustrissimus ac piissimus Episcopus Lemovicensis D. D'URFE', aliique Episcopi non pauci, lectionem illius familiarem sibi habuerint, & utilissimam omnibus Pastoribus judicârint? Quòd Illustrissimus Tullensis, nunc Meldensis Episcopus, & S. R. E. Cardinalis, HEN-

RICUS DE BISSI, eum recensuerit inter Libros, quos Pastoribus aliisque Sacerdotibus absolutè necessarios judicabat, & à quibus legendis & habendis neminem prorsus eximebat?

Quærimus iteratò, an hæc de viris tantis sine atrocissimâ contumelia dici possent, si tam perditus sit Libri istius Auctor, & tam nefaria ejus doctrina?

Ipsum *Considerationum* Auctorem audite jam condemnatum quidem ab hominibus, sed de Sententiæ adversus se latæ injustitia sic *sub oculis Dei, in conspectu Angelorum, & in facie Ecclesiæ* querentem & protestantem:

„ Tu scis, O SANCTE SPIRITUS, Spiritus Veritatis, qui scrutaris „ corda & renes, tu scis, & id toto ex „ animo profiteor sub oculis tuis, in conspectu Angelorum tuorum, ante faciem „ Ecclesiæ quam tu formasti, me in componendis considerationibus super Sancto „ Evangelio tuo, & Scriptis Apostolorum tuorum, in quas hodie tantam offensionem & invidiam, calumniæ vis „ concitat, nullam mentem aliam habuisse; quàm ut per eas fratribus ac sororibus meis, eisdemque tuæ misericordiæ & gratiæ filiis, adjumenti aliquid ad „ pietatem accederet. Id unum mihi „ proposui, ut sic possent & meditari facilius, & gustu illuminati cordis melius „ sapere salutaria dogmata Sanctæ tuæ Legis, quam tu illis vitæ ac morum regulam esse voluisti, ut tibi in æternum adhærere & consociari mereantur.

„ Mihi visus sum, O SANCTA TRI-

„ Trinitas! providentiæ tuæ imperio obsequi, tuisque inservire consiliis, cùm servorum tuorum aliquot victus precibus opusculum illud aggressus sum. Noveram, ut id à me tantopere efflagitarent eos impelli uno zelo gloriæ tuæ, & ferventi caritate animarum, quâ te in tuo verbo quærunt, tuamque esuriunt & sitiunt justitiam. Eorum igitur tam pio & laudabili studio pro virili parte obsecundans, onus istud à me suscepi, si quid fortè possem conferre *ad consummationem Sanctorum*, *in ædificationem Corporis Christi*; eo magis quod laborem illum mihi necessariò injungere videbatur ipsa ratio sacri ministerii, cujus me socium ac participem effecisti.

„ Horret animus commemorando referre sacrilega consilia, quæ mihi super ea re attribuuntur. Nosti, O Deus Meus, nihil longius abfuisse ab animo & voluntate mea quàm quod isti *Fabricatores mendacii falsa videntes ac divinantes*, mihi imputant: diras impiæ factionis conspirationes, initas, ut ajunt, ad pervertendam Sacri Verbi tui veritatem, ad convellendam doctrinæ tuæ doctrinam, ad corrumpendam fidem tuorum Filiorum. Sacrum Verbi tui depositum, & illo verbo sancita Ecclesiæ tuæ doctrina & authoritas, in toto decursu istius operis mihi lex ea regula sentiendi & scribendi extiterunt. Hoc duce, & quasi prævia stella semper usus sum.

Utinam hæc Magistri vestri legant fusius initio libelli, qui inscribitur *Plainte & Protestation du Pere Quesnel*; quique in La-

Latinum ſermonem eleganter verſus eſt, ſuaſque calumnias, quibus tam atra illi conſilia affinxerunt, recantent!

§. II.

Oſtenditur & expenditur injuria Conſiderationum Auctori per eximios Facultatis Sacræ Lovanienſis Magiſtros illata, affingendo illi ſenſus perverſos, quos propoſitiones ipſius præſe non ferunt.

Nil minus præſtant Magiſtri veſtri, quàm quod in ſuâ *Declaratione* profitentur, *Conſtitutionem ſe purè, ſimpliciter, ſine hæſitatione, ſine exceptione, ſine explicatione* amplecti. Dum enim objicitur ipſis propoſitio aliqua per Conſtitutionem condemnata, quæ ſenſu obvio ac naturali cum doctrinâ ipſorum conſentire oſtenditur; non eam condemnant *purè & ſimpliciter* ac *ſine explicatione*: ſed plerumque non parum laborant, ut quærant, inveniantque ſenſum aliquem perverſum, quem propoſitioni ejuſve Auctori affingant, & in quo eam condemnatam eſſe non ſine operoſâ *explicatione* perſuadere conentur.

Declarant interim (quâ fide, neſcimus) ſe Conſtitutionem amplecti *purè*, *ſimpliciter*, & *ſine explicatione*; ſimulque profitentur (ſaltem plerique) nihil immutare ſe in doctrina, quam dicunt eſſe Scholæ Lovanienſis & ante Conſtitutionem tenebant.

Et hæc quidem ſibi adverſa ſunt, neque enim fieri poteſt, ut qui Conſtitutionem *purè*, *ſimpliciter* & *ſine explicatione* amplectitur, antiquam Scholæ Lovanienſis doctrinam ſimul teneat: ſed quid facerent Magiſtri veſtri?

ſtri ? Inde terrebat Roma, niſi Conſtitutionem *purè*, *ſimpliciter*, & *ſine explicatione* amplecterentur; inde tenebat inolitus erga antiquam doctrinam affectus. Quid facerent ? Utrique obſequendum erat, Romæ quidem, editâ palam Declaratione, quâ ſe Conſtitutionem *purè*, *ſimpliciter*, & *ſine explicatione* amplecti profiterentur: affectui autem, ſic explicando propoſitiones, aut potius ſenſus ejuſmodi iis affingendo, ut Conſtitutio doctrinæ ipſorum non videretur adverſa.

Judicet ſummus Pontifex, an hoc non ſit verius Conſtitutionem ipſius *purè*, *ac ſimpliciter cum explicatione* eludere, quàm *purè*, *ſimpliciter*, & *ſine explicatione* eam amplecti. Sed hoc viderint alii, nos injuriam Auctori *Conſiderationum* illatam exhibebimus.

I.

Exhibetur injuria Conſiderationum Auctori illata, affingendo illi ſenſum perverſum gratiæ neceſſitantis.

Si Moliniſtæ forent, aut facti eſſent Magiſtri veſtri poſt *Conſtitutionem*, non miraremur eas propoſitiones, quæ non aliud quàm gratiam per ſe efficacem ſignificant; tanquam hæreticas condemnare: nunc cùm ex illis ſaltem aliqui profiteantur ſe, etiam poſtquam Conſtitutionem *purè*, *ſimpliciter*, *ſine hæſitatione*, *ſine exceptione*, *ſine explicatione* amplexi ſunt, in antiqua ſua de Gratia per ſe efficaci doctrina perſiſtere; non intelligimus quâ ratione potuerint propoſitiones, quæ plano, obvio

ac naturali sensu non aliud, quàm gratiam per se efficacem sonant, condemnare, nisi affingendo illis sensus aliquos perversos, quos Gratiæ etiam per se efficacis Defensores condemnant.

Hoc facere Magistros vestros intelligimus, quoties ipsis propositio aliqua per Constitutionem, *Unigenitus*, condemnata, contra doctrinam Scholæ Lovaniensis objicitur. Sic v. g. dum contra doctrinam Gratiæ per se efficacis objicitur propositio 10. *Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*; vel propositio 14. *Quantumcunque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum*; non aliud respondetur, quàm istis propositionibus condemnatum esse sensum gratiæ necessitantis: atque ita gravissimus error per summam injuriam Auctori propositionum affingitur. Neque enim aut propositiones istæ sensu obvio ac naturali gratiam necessitantem præ se ferunt; aut Auctor ipse suspectus esse potest gratiam unquam necessitantem tenuisse, vel docuisse. Utpotè qui tum ante, tum post Constitutionem editam sæpius errorem istum palàm detestatus sit. Et ante Constitutionem quidem id præstitit in suis adversus Ministros Archi-Episcopi Mechliniensis Humberti *Defensionibus*, in *Responso* suo ad Archi-Episcopum Cameracensem, in binis suis *Explicationibus Apologeticis*, & alibi: Post Constitutionem verò, in quatuor suis primis, ut vocat, *Memorialibus*, in *Epi-*

stola

stola ad Cardinales, Archi-Episcopos, & Episcopos Galliæ congregatos Parisiis datâ 15. Januarii 1714. &c.

Calumniæ ergo rei sunt Magistri Vestri, dum propositionum Auctori hæresim necessitantis gratiæ adscribunt.

II.

Exhibetur injuria propositionum Auctori illata, dum fingitur non admittere gratiam Thomistarum sensu sufficientem seu excitantem.

Hanc gratiam non admittere fingitur in propositione 3. *In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das quod præcipis:* Item in propositione 11. *Gratia non est aliud quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet:* Item in propositione 13. *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit:* Item in propositione 15. *Quando Deus mandatum suum & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illâ in corde obedientiam, quam petit:* Item in propositione 16. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti:* Item in propositione 17. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum. Quicunque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre:* Item in propositione 18. *Semen*

Verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum: Item in propositione 19. *Dei gratia nihil aliud est quàm ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis:* Item in propositione 20. *Vera gratiæ idea est, quòd Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia sibi submissa sunt:* Item in propositione 21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpotè quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis Filium suum.*

In hisce & hujusmodi propositionibus fingitur Auctor non admittere gratiam sufficientem seu excitantem: cùm tamen manifestum sit, non aliud eum sensu obvio ac naturali asserere, quàm Deum in cor hominis habere dominium supremum; voluntates creatas perfectè subjectas esse voluntati Creatoris, & à voluntate Omnipotente omninò pendere: quæ assertio tot Scripturarum & Patrum testimoniis firmatur, ut dici possit veritas Fidei Catholicæ.

Quòd verò Magistri Vestri indè concludunt: Ergo non admittit gratiam sufficientem seu excitantem, quæ non obtinet omnem effectum ad quem excitat, concludunt pessimè. Cùm enim Deus per omnipotentem & efficacissimam suam voluntatem in cordibus hominum operetur eo modo, quo vult; sequitur eum operari in illis, quantum vult, quâ mensurâ vult, & quibus gradibus vult, juxta Apostolum, *Deus est qu operatur in vobis velle*

le & perficere pro bona voluntate : Adeóque per Omnipotentem & efficacissimam suam voluntatem operatur Deus, tam volitionem infirmam quàm fortem, tam actionem imperfectam quàm perfectam, tam effectum inchoatum quàm integrum & completum.

Insignem proindè injuriam propositionum Auctori faciunt Magistri vestri, dum hæresim illi adscribunt, non quæ ex propositionibus illius sequitur, sed quam ipsi consequentiâ pessimâ ex ipsius propositionibus deducunt.

Quin etsi consequentia foret optima, modò eam neget propositionum Auctor, non potest ei sine gravi injuria adscribi error; qui ex illius propositionibus infertur.

Jam verò non consequentiam solùm negat propositionum Auctor, sed & locis pluribus doctrinam errori isti contrariam profitetur. In Matth. c. 8. v. 3. *Duo*, inquit, *sunt genera gratiarum : aliæ quæ conversionem non operantur, sed quæ ad illum præparant, operando fidem, desideria, fiduciam, orationem : hujusmodi sunt, quæ dicere faciunt leprosum : Domine, si vis, potes me mundare. Aliæ operantur conversionem, superando resistentiam peccatoris, inspirando illi voluntatem bonam, fortem, plenam & perfectam, quæ sanet cupiditatem, in qua voluntas mala consistit.* In Epist. 2. ad Cor. c. 3. v. 5. *Cogitationes bonæ, quæ sunt primum semen, & minimum initium boni operis, tam sunt effectus gratiæ, quàm reliqua.* In Matth. c. 9. v. 17. *Deus ordinariè opus suum facit gradatim, & pedetentim in animabus sin-*

galis; & fere semper in magno aliquo populo.

His addant Magistri vestri *Considerationes* Authoris in Matth. Cap. 13. v. 32. In Epist. 2. ad Cor. cap. 12. v. 5. In Marc. cap. 13 v. 17. In Epist. 2. ad Cor. cap. 8. v. 11. In Luc. cap. 8. v. 5. In Marc. cap. 4. v. 18. & 19. In Luc. cap. 23. v. 20. In Marc. cap. 9. v. 20. Item in cap. 11. v. 13. & in cap. 12. v. 2. & 3. In Act. cap. 22. v. 7. &c. Miror si tot locis convicti non fateantur ingenuè, Auctorem *Considerationum* de exclusâ gratia sufficiente non nisi per calumniam accusari.

III.

Exhibetur injuria Considerationum Auctori illata, dum fingitur excludere cooperationem liberi arbitrii cum gratia.

Hanc excludere fingitur in propositionibus quæ sequuntur: *Concordia omnipotentis operationis in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu, illicò nobis in Incarnatione, veluti in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.* 22. *Deus ipse nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.* 23. *Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi, in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis.*

tis, est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate. 24. *Deus illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus solâ suâ voluntate; jubet & ipsi obtemperatur.* 25. Quibus dicere fingitur, quòd liberum arbitrium non magis cooperetur gratiæ, quàm natura humana Unioni Hypostaticæ, quàm res nondum creatæ Creatori educenti eas ex nihilo, quàm mortui voci Dei illos resuscitantis, quàm corpus quod sanatur Deo sananti. Ubi præter horrendam calumniam, qua Lutheranismus in Tridentina Synodo condemnatus illi adscribitur, calumniâ non minori corrumpitur sensus propositionis 22. Nam ubi propositionis Auctor consensum, quem voluntas præbet gratiæ, comparat consensui quem B. Virgo præbet Angelo Gabrieli, ibi fingitur concordiam gratiæ cum libertate exhibere per operationem Omnipotentem Dei, quâ Personam Verbi unit humanæ Naturæ.

Pari imposturâ comparationes, quas propositionum Auctor è Sacris Literis adhibet ad explicandam gratiæ virtutem & efficaciam, adhibere fingitur ad exhibendam concordiam omnipotentis gratiæ Dei cum voluntate humanâ.

Ipsæ propositiones, si oculis non iniquis legantur, calumniam & imposturam detegunt. Si quis tamen alia desiderat, audiat *Considerationum* Auctorem in Matt. cap. 9. v. 29. his verbis doctrinam ac fidem suam profitentem: *Manus vivens Salvatoris & manus mortua filiæ, simul junctæ, symbolum sunt gratiæ Dei & voluntatis hominis, quæ*

sese uniunt & concurrunt inseparabiliter ad justificationem & bona opera, per consensum, quem gratia operatur in voluntate, & quem voluntas præbet liberè per gratiam, quæ ipsam revivificat, sanctificat, movet, & facit agere. Et in Marc. c. 10. v. 51. Concordia perfecta gratiæ cum libertate. *Deus est, qui voluntate sua Omnipotente operatur in voluntatem hominis, quod designatum est hâc expressione.* QUID TIBI... FACIAM..... UT VIDEAM: *Sed voluntas humana consentit, vult, petit: Id quod notant hæc verba:* QUID VIS? & RABBONI, UT VIDEAM. Plurima sunt loca similia, quæ hic afferre superfluum esset.

Ex his cognoscent Magistri vestri, quanta contumelia fiat *Considerationum* Auctori, cùm dicere fingitur, quòd voluntas sub gratia sit velut instrumentum quoddam inanime, & non Catholicè de cooperatione liberi arbitrii cum gratia sentire.

IV.

Exhibetur injuria Considerationum Auctori illata, dum illi affingitur, quòd non admittat verum posse ad bonum agendum & ad malum vitandum sine gratia absolutè & simpliciter efficaci.

Hoc illi affingitur in duabus hisce propositionibus: *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa, non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.* Prop. 2. *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus:* Prop. 9.

Ne-

Nemo ignorat, in Scholis SS. Augustini & Thomæ distingui gratiam per se efficacem, in gratiam efficacem *secundùm* quid, & in gratiam efficacem *simpliciter & absolutè*: eâque distinctione positâ, in iisdem Scholis doceri nihil boni (nimirum *salutaris*, seu *utilis ad salutem*) fieri posse sine gratia efficaci; *intelligendo* sub *efficaci*, sive *efficacem secundum quid*, sive *efficacem absolutè ac simpliciter*.

Eodem prorsus sensu dixit propositionum Auctor: *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum, absque illa, non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.* Patuisset hoc manifestè omnibus, nisi propositionem truncassent Accusatores, & post hæc verba, *ad omne opus bonum*, è medio propositionis sustulissent hæc, *magnum aut parvum, facile aut difficile, ad illud inchoandum, continuandum, & perficiendum*, quibus apertè significatur, non tantùm sermonem esse de gratia efficaci *simpliciter & absolutè*, quâ opus bonum perficitur, & effectus plenus ac integer obtinetur, sed etiam de efficaci *secundùm quid*, quâ opus bonum tantùm per aliquod bonæ voluntatis initium & conatum inchoatur.

Nec minus vera est propositio altera: *Gratia Christi est gratia suprema, sine quâ confiteri Christum numquam possumus, & cum quâ illum nunquam abnegamus.*

Verissimum enim est, quòd sine illa gratia, cum quâ Christum numquam abnegamus, numquam possimus Christum confiteri: nam ad confitendum Christum necessaria est illâ gratia: si autem ad Christum con-

confitendum necessaria, non possumus sine illa Christum confiteri; siquidem necessarium ad agendum est id, sine quo quis agere non potest: Atqui illa gratia ad Christum confitendum necessaria est: Ergo sine illa non possumus Christum confiteri: sic dixit Apostolus: *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Sic
1 Cor. 12. Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et *si-*
Joan. 6. *ne me nihil* POTESTIS *facere.* Sic Con-
Joan. 15. cilium Tridentinum de ipso homine jam justificato: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere* QUOD NON POSSIS. Ita ut fidei sit, quòd juxta Patres Concilii Tridentini, a-
Sess. 6. c. 11 pertè dicere liceat, non tantùm de homine extra statum gratiæ, sed etiam de homine jam justificato, esse quædam præcepta quæ FACERE NON POSSIT. Eâ scilicet potentiâ, quæ complectitur omnia ad faciendum necessaria, adeóque etiam gratiam efficacem, quâ fiant.

Verùm præter hanc potentiam, quæ complectitur omnia ad agendum necessaria, aliam etiam potentiam locis innumeris agnoscit *Considerationum* Auctor, quâ verè possint præcepta Dei implere, non solùm qui tantùm habent gratiam sufficientem seu excitantem, & non efficacem, sed etiam qui habent nullam. Quod cum in *Considerationibus* ipsius, & alibi, manifestum sit, à gravi calumnia excusari non possunt, qui ipsum traducunt, tanquam qui verum posse ad bonum agendum & ad malum vitandum non admittat sine gratiâ absolutè & simpliciter efficace.

V.

V.

Exhibetur injuria Considerationum Auctori illata, dum fingitur non credere Jesum Christum mortuum esse pro omnibus hominibus.

Fingitur hoc ex propositione 12. *Quando Deus vult servare animam, quocumque tempore, quocumque loco, affectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.* Et ex propositione 30. *Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter:* sed non fingitur, nisi per calumniam. Nam manifestum est in propositionibus istis *Considerationum*-Auctorem non loqui nisi de Voluntate Dei *absolutâ & efficace*: id quod disertè etiam expresserat in propositione 30. Sed placuit Accusatoribus, verba ista, *absolutâ & efficace*, ex ea tollere; ut locum facerent suæ calumniæ. Allegant etiam propositionem 31. *Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat:* sed & hanc de desideriis Christi efficacibus intelligi oportere, vel ex eo patet, quòd de Christo resuscitato, & jam in possessione ac usu supremæ suæ potestatis constituto, sermo sit.

Multo apertiùs de voluntate Christi *absoluta & efficace* agit propositio 32. *Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli Exterminatoris:* quâ calumniam suam etiam fulciunt Accusatores. At maximè mirum, quod eidem etiam subsidium quærant ex propositione 33. *Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibimet ipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam*

ciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut fecit S. Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Neque enim vel per umbram insinuat propositio, quòd Christus non sit mortuus pro omnibus. Quarè etsi Molinista non sit, qui non credat Christum pro omnibus mortuum esse, etiam sensu Molinistico, vix tamen erit qui præsumat loqui, ut hic loquitur Paulus, nisi vel ad perfectionem Pauli evectus, vel insigni superbia elatus.

Denique calumniam detegere poterant Magistri vestri, ex aliis locis plurimis, ubi *Considerationum* Auctor Christum pro omnibus mortuum esse profitetur. In Epist. 1. ad Tim. c. 2. v. 4. *Caveamus*, inquit, *limites ponere gratiæ & misericordiæ Dei....... Veritas incarnata est* PRO OMNIBUS, *orare ergo debemus pro omnibus*, si in Spiritum *Veritatis intremus.* Et in v. 5. sequentem: *Jesus Christus naturam omnium assumpsit, ut esset mediator omnium..... Unus Mediator, qui* MORTUUS EST PRO OMNIBUS. In Epist. 2. ad Cor. c. 5. v. 14. *Jesus est mortuus indifferenter* PRO OMNIBUS. In Joan. c. 20. v. 16. *Jesus Christus factus est* (in suâ Resurrectione) *novo prorsus modo Magister Magdalenæ, &* OMNIUM HOMINUM, *quos suo sanguine redemit, &* TOTIUS MUNDI *quem acquisivit sua cruce. Nam mors, postquam injustè sibi subjecerat Jesum Christum innocentem, potestatem, quam in omnes homines nocentes habebat, amisit. Quid ergo æquius, quàm vitam suam consecrare illi, qui*

qui nobis omnibus eam redemit, MORTUUS PRO OMNIBUS?

Hæc, ſperamus apud Magiſtros veſtros ſufficient ad diluendam calumniam.

VI.

Exhibetur injuria Conſiderationum Auctori illata, quaſi dicat per peccatum amiſſam eſſe libertatem ad bonum.

Calumnia hæc exſculpitur ex propoſitione 1. *Quid aliud remanet animæ quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.* Huic jungitur propoſitio 38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.* Item 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum. Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Et 40. *Sine Gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* Adjicitur & 41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire niſi à Deo; & ſine gratia non producit niſi præſumtionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.* Et 42. *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei; ſine hoc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas.* Ve-

Verùm hæ propositiones non significant aliud, quàm ad opus simpliciter bonum, seu salutare, necessariam esse Christi gratiam: sine hac à peccato non liberari peccatorem: sine hac voluntatem non nisi aberrare, se præcipitare, se vulnerare, sine hâc capacem esse omnis mali, & nihil boni salutaris posse, eâ potentia, cui ad agendum nihil desit: sine hac ipsam Dei cognitionem non producere nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum: sine hâc nihil esse nisi impuritatem & indignitatem &c. Quæ omnia breviffimè complexa est Synodus Arausicana II. definiens Canone 22. *Homo non habet de suo, nisi mendacium & peccatum:* Et Ecclesia in prosa Missæ Pentecostes: *Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium.* E quibus propositiones omnes jam relatæ consecutione legitimâ deducuntur.

Nequaquam tamen in propositionibus istis negatur liberi arbitrii tum ad bonum, tum ad malum, sive sub peccato, sive sub gratia potestas, neque asseritur, quòd potestas ad bonum amittatur per peccatum, vel absente gratiâ: quamquam gratia necessaria sit, quæ faciat ut liberum arbitrium suâ potestate ad bonum salutare exercendum utatur.

Hanc esse doctrinam suam toties declaravit *Considerationum* Auctor, ut mirum sit potuisse ei contrariam affingi.

VII.

VII.

Exhibetur iniuria Auctori Considerationum illata per calumniam circa meritum bonorum operum.

Ex propositione 69. *Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei*, hanc conflant calumniam Accusatores: quòd Auctor neget meritum bonorum operum. Sed justo Dei judicio, ex ipsa propositione, ex qua calumniam conflant, de calumnia convincuntur. Siquidem propositio *præmium fidei* agnoscit: ubi autem agnoscitur *præmium*, ibi agnoscitur *meritum*: nam *præmium* non respondet nisi *merito*.

Convincuntur etiam de calumniâ ex aliis locis propè innumeris, ubi *Considerationum* Auctor bonorum operum meritum disertissimè profitetur. In Epist. 2. ad Tim. c. 4 v. 8. ad hæc verba, *Reposita est mihi corona Justitiæ*, sic habet: *Corona Justitiæ est, quia* DEBITA EST MERITO *laboris & certaminis, ex Deo promisso; sed & corona gratiæ est & misericordiæ, quia gratia est, quæ facit merita.* Videantur etiam Considerationes ipsius in Apoc. cap. 22. v. 12. In Matth. cap. 10. v. 42. Item in cap. 13. v. 44. cap. 19. v. 28. cap. 20. v. 8. cap. 25 v. 35. & 36. &c. Quæ sufficient, ut vel calumnia, si possit, erubescat.

VIII.

VIII.

Exhibetur calumnia Considerationum Auctori impacta quoad fidem , & primam gratiam.

Calumnia quoad fidem & primam gratiam illi impacta est : *Quòd prima gratia sit* FIDES CLARA ET DISTINCTA IN JESUM CHRISTUM; *& nullæ dentur gratiæ , nisi per* TALEM *fidem.*

Fingitur hæc calumnia ex propositione 26. & 27. *Nullæ dantur gratiæ , nisi per fidem : fides est prima gratia , & fons omnium gratiarum :* in quibus nulla prorsus fit mentio , vel de fide *in Jesum Christum* , vel de fide *clarâ* , vel de fide *distinctâ* , sed de fide generatim. Fides autem generatim , non solùm fidem in Jesum Christum , eamque claram & distinctam , sed minimas etiam & primas illustrationes , seu , ut eas vocat Augustinus , *incboationes fidei , conceptionibus similes* comprehendit.

L. 1. ad Simpl. qu. 2.

Et dum hoc sensu , qui obvius est ac naturalis , intelliguntur , ut debent , propositiones , non continent nisi veritatem Catholicam : si verò detorqueantur ad sensum alienum , quo finguntur non significare , nisi *fidem claram & distinctam in Jesum Christum* , errorem quidem continent gravissimum , sed qui *Considerationum* Auctori non potuit , nisi per calumniam graviorem adscribi.

IX.

Exhibentur calumniæ Considerationum Auctori impactæ quoad charitatem & cupiditatem.

Cùm profiteantur Magistri vestri, etiam postquam recepêre *purè ac simpliciter* Constitutionem, se in antiqua Scholæ Lovaniensis *de Charitate & Cupiditate* doctrina persistere, non potuerunt propositiones, quas de charitate & cupiditate habet Constitutio, damnare, nisi tot ferè calumnias affingendo propositionum Auctori, quot sunt propositiones, in quibus de charitate & cupiditate fit mentio. Ubi enim Auctor ille per charitatem intelligit charitatem qualemcunque, sive actualem, sive habitualem, sive prædominantem sive non prædominantem, sive justificantem sive non justificantem; ibi, ut censuræ materiam invenirent, fingere debent ab eo solam habitualem, prædominantem, vel justificantem intelligi; adeóque gravissimos illi errores per calumniam affingunt.

Propositio 44. est: *Non sunt nisi duo amores, undè volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Quæ propositio condemnari non potuit à Magistris vestris, qui doctrinam Augustini de duplici amore adhuc profitentur, nisi fingendo in propositione intelligi amorem habitualem, vel fal-

ſaltem ſimpliciter & abſolutè prædominantem, ex quo omnes volitiones & actiones noſtræ naſcantur.

Propoſitio 46. *Cupiditas aut Charitas, uſum ſenſuum bonum vel malum faciunt*, condemnari etiam à Magiſtris veſtris non potuit; niſi ſic eam intellexerint, *ut uſum ſenſuum bonum non faciat* niſi charitas habitualis vel ſimpliciter & abſolutè prædominans.

Nec alio ſenſu damnari ab iis potuit propoſitio 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt* CHARITAS. *Quando* DEI AMOR *eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt quod apparet exterius, alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.* Neque enim poſſunt Magiſtri veſtri juxta doctrinam, quam profitentur, negare, quin debeat obedientia legis ex charitate aliqua, ſeu amore, ſaltem actuali profluere.

Eodem ſenſu accipere debuerunt *Charitatem* & *Amorem* in propoſitionibus quæ ſequuntur: *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum, ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine* CHARITATE? 48. *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine* AMORE DEI. 49. *Fruſtra clamamus ad eum, Pater mi, ſi Spiritus* CHARITATIS *non eſt ille, qui clamat.* 50. *Fides juſtificat, quando operatur, ſed ipſa non operatur, niſi per* CHARITATEM. 51. *Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine & ſemine, ſed hæc fides non eſt abſque* AMORE *& fiducia* 52. *Sola* CHARITAS *eſt, quæ Deo loquitur,* *eam*

eam solam Deus audit. 54. *Deus non coronat nisi* CHARITATEM, *qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.* 55. *Deus non remunerat nisi* CHARITATEM *quoniam* CHARITAS *sola Deum honorat.* 56. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est* AMOR *Dei.* 57. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est* CHARITAS. 58. Quæ propositiones omnes veræ sunt & Catholicæ, si in iis per *Charitatem* & *Amorem* intelligatur, ut debet, *Charitas & Amor* qualiscumque, sive actualis sive habitualis, sive prædominans sive non prædominans, sive justificans sive non justificans: sed per calumniam falsæ erunt & hæreticæ, si in iis fingatur non significari nisi charitas & amor habitualis, justificans aut simpliciter & absolutè prædominans.

XI.

Exhibetur calumnia Considerationum Auctori impacta circa timorem servilem.

Cùm Magistri vestri post receptam Constitutionem adhuc profiteantur, non averti corà peccatis per solum timorem fine amore justitiæ, non mediocriter ipsis laborandum fuit, ut sensum aliquem pravum invenirent, quem affingerent huic propositioni 61. *Timor non nisi manum cohibet: cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.* Cùm enim manifestum sit, in hac propositione condemnari ipsam doctrinam quam profiten-

fitentur, videbantur debere vel à doctrina suâ recedere, vel Constitutionem purè & simpliciter non amplecti, sed neutrum placuit. A doctrina antiqua recedere, turpe; Romæ non obsequi, periculosum. Ingenio potius utendum videbatur, ut quæreretur sensus falsus, qui propositioni, ejusque Auctori affingeretur. Is autem est hujusmodi; *Cor tam diu* per novos & novos actus *peccato addicitur*, *quamdiu amore justitiæ non dicitur:* qui tam à propositione, & ejus Auctore alienus est, quàm alieni esse deberent à calumnia, qui illum finxerunt. Non facile is cuiquam in mentem venisset, nisi prodidisset eum quidam in Schola Lovaniensi palàm disputans pro Laurea Doctorali. An alii alium non finxerint, nondum intelleximus.

XI.

Exhibetur calumnia Considerationum Auctori impacta circa Legem Veterem.

Quâ ratione condemnare potuerint Magistri vestri propositiones, quas condemnat Constitutio *de Lege Nova & Veteri*, planè non intelligimus: sunt enim hæ: *Discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum est, quòd in illo Deus exigat fugam peccati & implementum legis à peccatore, relinquendo eum in sua impotentia: in isto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum suâ gratiâ purificando. 6. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est* ad-

admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis? 7. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit.* 8. Eodem pertinent quæ sequuntur: *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.* 63. *sub maledicto legis numquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.* 64. *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt, absque eo quòd ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint nisi mancipia per timorem.* 65.

Planè non intelligimus, quâ ratione propositiones istas condemnare potuerint Magistri vestri, saltem *omnes & singuli*: cùm inter eos saltem nonnulli sint, qui discrimen inter Legem novam & veterem, à Prophetis, ab Apostolo, & ab Augustino tam disertè traditum adhuc profiteantur. Hos proindè alium sensum quærere oportuit, quem propositionibus & earum Auctori imputarent. Quis iste sit, nusquam (quod nobis quidem scire licuit) declarârunt: sed nihil speciosius invenisse eos credimus, quàm quod jam insinuaverant alii dicere scilicet propositionum Auctorem, *Quòd omnes qui fuerunt in lege veteri, fuerint in impotentia legem adimplendi:* Quæ calumnia apertè refellitur ex *Considerationibus* in totum caput 2. Epistolæ ad Hebræos, aliaque loca plurima, ubi *Considerationum* Auctor multos in veteri Lege sanctos Legem implevisse affirmat; a-

 deò-

deóque non fuisse in impotentia legem implendi: neque enim fieri potest, ut quis legem impleat, & simul sit in impotentia legem implendi.

XII.

Exhibentur calumniæ Considerationum Auctori impactæ circa Ecclesiam.

Ecclesia, ut hìc in terris degit, spectari potest dupliciter; vel secundùm corpus, vel secundùm animam. Dum spectatur secundùm corpus, bonos & malos complectitur, qui ejusdem fidei professione, & eorumdem Sacramentorum participatione inter se exteriùs colligati sunt. Dum spectatur secundùm animam, non complectitur nisi bonos, qui inter se uniti sunt vinculo fidei, spei, & charitatis.

Rursus Ecclesia spectari potest secundùm membra sua præcipua & numquam ab ea separanda: & sic complectitur solos electos.

Tandem spectari potest ut complectitur omnes Sanctos in cœlis, ipsósque Angelos, & Sanctos in terris, ac præcipuè omnium temporum & locorum electos, qui prædestinati sunt ad corpus istud mysticum æternum formandum.

Secundùm varias hasce considerationes, variè de Ecclesia loquuntur Scripturæ & Patres, quos secutus *Considerationum* Auctor pro varietate locorum Scripturæ, qui se offerebant, variè etiam de Ecclesia locutus est: atque hinc varia calumniandi materies. Locus Apostoli ad Hebr. cap. 12. v. 22. 23. & 24. *Accessistis ad Sion Montem, & Civ-*

Civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & Judicem omnium Deum, & Spiritus justorum perfectorum, hanc exigebat *Considerationem*, quæ est propositio 72. *Nota Ecclesiæ Christianæ est, quòd sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes electos & justos terræ, & omnium sæculorum.* Tamen hinc calumnia structa est *Considerationis* Auctori, quasi impios ac reprobos ab Ecclesia excluderet.

Eadem calumnia illi struitur ex propositione 73. *Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam & exspectantium gratiam futuri sæculi:* Quæ consideratio congruebat his verbis Apostoli 1. Thess. 1. v. 1. *Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo Patre & Domino Jesu Christo, Gratia vobis & pax.*

Eadem ferè calumnia conflatur ex propositione 74. 75. & 76. in quibus Auctor congruè ad textus, quos suis *Considerationibus* illustrat, rursus spectat Ecclesiam, quâ parte Justos & Electos complectitur.

Ubi verò textus Ecclesiam exhibet aliter, ibi & aliter eam spectat *Considerationum* Auctor: ut patet ex locis hìc subjectis.

In cap. 3. Matth. v. 12. *Ecclesia*, inquit, *præsens & visibilis, area est, ubi frumentum adhuc mixtum est paleæ, electi reprobis.*

In cap. 13. ibidem v. 25. *Mali mixti sunt bonis in Ecclesia super terram: non nisi in cœlo totum purum est & sine mixtione.*

In cap. 22. ibidem v. 10. *Ubique Ecclesia repræsentata ut visibilis & ut complectens bonos & malos, justos & peccatores, eorumdem Sacramentorum participatione unitos.*

In cap. 25. ibid. v. 2. *Ecclesia, priusquam perveniat ad Aulam nuptiarum, quæ est Cælum, semper divisa est, semper mixta bonis & malis.*

In cap. 26. ibid. v. 20. *Filius Dei, in ultimo hoc cœtu, qui compendio totam Ecclesiam complectitur, exhibet illam nobis mixtam bonis, infirmis, & malis, qui omnes participatione eorumdem sacramentorum uniti sunt.*

In cap. 3. Luc. v. 17. & 18. *Ecclesia usque ad extremum Judicium mixta erit bonis & malis.*

In cap. 16. ibid. v. 26. In Cœlo *non amplius electorum & reproborum mixtio, ut in ecclesia terræ.*

In Joan. cap. 11. v. 2. *Ecclesia mixta est: Marias habet, quæ vitam transigunt in oratione; Marthas, quæ bonis operibus occupantur; & Lazaros, ægros & languentes. Quin & habet, qui moriuntur morte peccati, & qui resuscitantur per lachrymas, orationem, & potens verbum Jesu Christi.*

In Epist. 1. Joan. cap. 2. v. 19. *Omnes qui sunt in Ecclesia, sunt de Ecclesia visibili, quamquam non sint de numero sanctorum & electorum. Habet illa membra*

sua

sua viventia, sed & habet membra putrida, & humores malos.

His & aliis locis pluribus, *Considerationum* Auctor bonos & malos, electos & reprobos, in Ecclesia esse agnoscit. Neque tamen propterea contradicit sibi, dum aliis locis Ecclesiam solum considerat ea parte, qua continet justos & electos: quemadmodum nec contradicunt sibi Scripturæ & Patres, & inter hos præcipuè Augustinus, dum variâ istâ consideratione aliter ac aliter de Ecclesia loquuntur.

Unicum locum Augustini referam: „ Damnati, inquit, à Christo, jam in „ Corpore Christi non sunt, quod est „ Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata. L. 2. contra Cresc. cap. 21.

Quare ut sine atrocissima calumnia condemnari non posset Augustinus, eò quòd dicat sæpiùs Ecclesiam ex solis justis componi, quasi per hoc à Corpore Ecclesiæ excludat peccatores, quos alibi sæpiùs in Ecclesia esse fatetur: ita nec sine gravissima injuria condemnari potuit Auctor *Considerationum*, cui causa cum Augustino communis est.

Utinam injuriam hanc expendant Magistri Vestri, & reparent!

XIII.

Exhibentur calumniæ Considerationum Auctori impactæ circa dilationem Absolutionis.

Non eò usque *omnes & singulos* Facultatis Vestræ Magistros ab antiquâ suâ doctrinâ deflexisse credimus, ut in sensu obvio ac naturali condemnare potuerint hanc propositionem 89. *Modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur :* Condemnârunt eam tamen *omnes & singuli purè ac simpliciter, & sine explicatione.*

Obstupuimus, fatemur; nec diu cogitando invenire potuimus, quem propositioni tam innoxiæ sensum affinxerint, ut eam condemnarent. Tandem ad nos relatum est, dixisse ex illis aliquem, ideò eam condemnari potuisse, *Quòd partem saltem satisfactionis præmitti postulet Absolutioni* : cùm juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam præmitti non debeat. Ingeniosa calumnia!

Manifestum est sensum obvium ac naturalem propositionis non postulare, ut absolutioni præmittatur ea satisfactio, quæ juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam absolutioni postponitur; sed ea solùm, quæ juxta disciplinam tum hodiernam tum veterem præmitti debet, ut peccator ad absolu-

solutionem sese disponat, & ad eam dispositus judicetur.

Multo minus invenire potuimus, quem sensum affinxerint propositioni 88. *Ignoramus quid sit peccatum & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.* Siquidem tam certa est ea propositio, & tam evidenter vera; ut non nisi evidens calumnia potuerit ei sensum perversum affricare.

XIV.

Exhibentur calumniæ Considerationum Auctori impactæ circa Excommunicationem.

Divinare non possumus quem sensum Magistri vestri adscripserint propositioni 91. quæ est hæc: *Excommunicationis injustæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab eâ expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.*

Etenim si per *Excommunicationem injustam* intellexerint Excommunicationem *verè injustam*; & per debitum nostrum, *verum debitum:* tam certum est, *Excommunicationis injustæ metum numquam debere nos impedire ab implendo debito nostro*; quàm certum est numquam nos debere peccare. Hoc autem condemnatum esse à Magistris vestris, suspicari non licet.

 Si

Si verò per *Excommunicationem injustam* intellexerint *Excommunicationem non verè injustam*; & per *debitum* nostrum, *non verum debitum*: tam certum est eos propositionis Auctori calumniam facere; quàm certum est, per Excommunicationem *injustam*, Excommunicationem *verè injustam*; & per *debitum* nostrum, *debitum verum* sensu obvio ac naturali significari.

Idem dicimus de propositione 92. *Pati potius in pace Excommunicationem injustam & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantùm abest, ut sit erigere se contra Auctoritatem, aut scindere Unitatem.* Si enim per *prodere veritatem* intellexerint *verè prodere veritatem*; condemnando propositionem, veritatem condemnârunt: si per *prodere veritatem* intellexerint *non verè prodere veritatem*; calumniam faciunt propositionis Auctori.

XV.

Exhibentur aliæ calumniæ Considerationum Auctori impactæ.

Cùm vi utriusque potestatis *Considerationum* Auctorem opprimere statuissent ipsius æmuli, hoc præcipuè moliti sunt, ut ei tum apud superiores Ecclesiasticos, tum apud sæculares, invidiam concitarent.

Ex propositione 93. *Jesus quandoque sanat vulnera quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato; Jesus restituit quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt*, hanc conflarunt calumniam

am: Quòd *Considerationum* Auctor primos Ecclesiæ pastores, summum Pontificem & Episcopos, redarguat *de præcipiti festinatione* & *inconsiderato zelo*, quo hodiè, *sine Jesu mandato*, Excommunicationem innocentibus infligunt.

Ex propositione 94. Quòd eosdem accuset, tanquam qui hodiè *dominatum in Ecclesia exerceant supra fidem fidelium, & foveant divisiones propter res quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

Ex propositione 95. *Quòd omnes senescentis hodiè Ecclesiæ Prædicatores, tanquam ad prædicandum ineptos, contemnat.*

Ex propositione 96. Quòd *omnes* hodiè *Potestates contrariæ sint Prædicatoribus veritatis.*

Ex propositione 97. Quòd *nimis sæpè* hodiè *contingat, membra illa, quæ magis sanctè ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt* (ut est *Considerationum* Auctor cum suis) *respici atque tractari tanquam indigna ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata.*

Ex propositione 98. Quòd *status persecutionis & pœnarum, quas* hodiè *tolerat, tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, Considerationum* Auctor cum suis, *ultima probatio sit & maximè meritoria, utpotè quæ* ipsum *faciat magis conformem Jesu Christo.*

Ex propositione 99. Quòd hodiè *pervicacia, præventio, obstinatio* superiorum *in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutet quotidiè quoad multos in odorem mortis, id quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor*

odor vitæ : *v. g. bonos libros*, ut est liber Jansenii, CONSIDERATIONES MORALES &c. *instructiones*, *sancta exempla*, *&c.* eorum, qui traducuntur invidioso nomine Jansenismi.

Ex propositione 100. Quòd hodiè sit *tempus deplorabile*, *quo creditur honorari Deus persequendo veritatem*, *ejusque discipulos* : Quo *homines pii habentur & tractantur à Religionis Ministris*, *tamquam impii & indigni omni commercio cum Deo*, *tanquam membrum putridum*, *capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum* : Quo *frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate & zelo quodam religionis*, *persequendo flamma ferroque Viros probos*, dùm *propriâ passione excæcatus est*, *aut abreptus alienâ*, *nihil volens examinare* : Quò *frequenter creditur sacrificari Deo impius*, *& sacrificatur diabolo Dei servus*.

Ex propositione 101. Quòd hodiè summus Pontifex & Episcopi *communia faciant juramenta in Ecclesia*, *multiplicent occasiones pejerandi*, *laqueos tendant infirmis & idiotis*, *& efficiant ut nomen & veritas Dei deserviant consilio impiorum*.

An hæ similesve calumniæ affictæ etiam fuerint *Considerationum* Auctori à Magistris Vellris, nescimus : sed non affingere non potuêre aliquas, ut propositiones, quas recensuimus, condemnarent. Cùm enim propositiones istæ, si spectentur secundùm se, nullâ prorsùs censurâ dignæ sint; debuerunt censurandi materiem, quam non inveniebant in propositionibus, accersere à propositionum Auctore ; sumptâque

que sibi, quæ Dei solius, scrutandi corda & renes auctoritate, per calumniam illi affingere mentem censurâ dignam, quam in propositionibus ipsius condemnarent.

§. III.

Ostenditur, quâ injuriâ à Magistris Facultatis Theologicæ Lovaniensis Recentioris condemnetur Liber Considerationum Moralium.

Dum profitentur Magistri Vestri, *omnes & singuli*, amplecti se *purè*, *simpliciter*, *sine hæsitatione*, *sine exceptione*, *sine explicatione*, Constitutionem *Unigenitus*; non profitentur solùm, *omnes & singulas propositiones*, ut ajunt, *per præfatam bullam*, UNIGENITUS, *damnatas fuisse verè damnabiles*, *& verè rectèque damnatas esse*: sed etiam addunt, *quòd agnoscant & sincerè sentiant*, *omnia & singula ritè*, *legitimè*, *ac juris ordine peracta esse in negotio concernente Librum. &c.* proindè rectè illum damnatum esse, seseque illum *purè*, *simpliciter*, *sine hæsitatione*, *sine exceptione*, *sine explicatione* damnare.

Quam iniquè expendamus.

I.

Illegitimè condemnatus est Liber Considerationum Moralium, non audito Auctore, qui audiri postulaverat.

Ut *omnia & singula ritè, legitimè, ac juris ordine* peragantur in negotio Libri alicujus, qui condemnatur; debet Auctor, qui Librum suum reum esse non credit, audiri, priusquàm condemnetur; præcipuè si ante condemnationem audiri enixè postulaverit.

Postulaverat hoc Auctor Libri *Considerationum Moralium* in suâ ad SS. D. N. Clementem X I. Summum Pontificem EPISTOLA, his verbis: " Beatissime „ Pater, à Clementia & Æquitate Vestra „ instantissime flagito, nè scilicet inauditus & indefensus condemner: Si enim „ justæ defensioni locus ipsis etiam sceleratis, vel apud gentes immanitate barbaras, semper reservatur; quantò æquius est, ab Apostolica sede non damnari Sacerdotem inauditum, hac præsertim occasione, ubi non de obscuro quodam ac nullius momenti libello „ agitur, sed de eo libro qui Autoritatem jam obtinuit longo fidelium usu „ corroboratam, legitimorumque superiorum ac gravissimorum Episcoporum & „ Theologorum approbatione confirmatam; quo judicio periclitante, simul „ totius ferè Galliæ, quæ Librum hunc „ sine offensione per annos plusquam quadraginta legit, judicium in discrimen „ adducitur. Ad-

„ Advolutus igitur animo ad Sanctitatis Vestræ pedes enixè supplico, ut „ Clementia Vestra jubeat communicari „ mecum & declarari mihi propositiones „ eas, quæ sigillatim excerptæ & quasi „ censurâ dignæ ad Apostolicum Vestrum „ judicium delatæ sunt: Ut si qua pro„ positio sit, aut manifestè erronea, „ aut quæ ad errorem vel tendat vel ten„ dere posse videatur, eam absque ambi„ guitate aut tergiversatione, vel retra„ ctem vel explicem; ne quis de doctrina „ aut mente mea, aut de vero ac genui„ no libri mei sensu dubitandi locus su„ persit, unde facti quæstio rursùm enas„ catur.

„ Obtestor prætereà Sanctitatem Ve„ stram, Beatissime Pater, ne ulla ratio „ habeatur tot calumniarum, quæ in me „ sæpiùs absque ullis argumentis & ex ina„ nissimis conjecturis jactatæ sunt, quæ„ que in ipsum etiam librum recidere pos„ sent, si propositiones extractæ in alie„ num à meo sensum contortæ, ex di„ ctis & calumniis adversariorum (quod „ Apostolicæ æquitatis non est) magis „ quàm ex mente, scopo, proposito, „ institutoque meo æstimarentur.

Post supplicationem tam humilem & tam æquam, nè auditum quidem fuisse Libri Auctorem, probè sciunt Magistri Vestri: si hoc sciunt, quâ fide dicunt, *quòd agnoscant & sincerè sentiant, omnia & singula ritè, legitimè, ac juris ordine peracta esse in negotio concernente librum? &c.*

Dicetis: In negotio concernente Librum, non nisi Liber audiendus erat, qui

 ipso

ipſo ſuo contextu pro ſe & contra ſe loquitur.

R. Aliter aliquando ſenſit unus è vobis, dum Sacræ Congregationi Romæ exhibebat ſcriptum quoddam, ubi art. 9. ſic loquebatur: *Non ita in promptu eſt cognoſcere & definire, quiſnam ſenſus ſit alicujus Libri: ſiquidem id cognoſci non poteſt, niſi diligenti inquiſitione & ſtudio humano; ſcilicet examinando modos loquendi Auctoris, & ætatis in quâ vixit, comparando ad invicem præcedentia cum conſequentibus, ac deindè perſcrutando varia principia, quæ in eo libro ſtabiliuntur: quæ quidem omnia quia longioris ſunt inquiſitionis, Eccleſia per ſe immediatè facere non ſolet, ſed per delegatos dumtaxat, quorum diligentia, quantumvis maxima ſupponatur, uſque ad fundandam certitudinem fidei pertingere non valet.*

Si ad cognoſcendum & definiendum, quiſnam ſenſus ſit alicujus libri, *examinandi ſint modi loquendi Auctoris*; quis modos loquendi Auctoris *Conſiderationum Moralium* melius aperire poterat, quàm ipſe, qui modos loquendi ſibi uſitatos, maximè perſpectos habebat? ſi *comparanda ad invicem præcedentia cum conſequentibus*; quis melius ea ad invicem comparare poterat, quàm ipſe qui contexuerat? ſi *perſcrutanda varia principia*, quæ in libro ſtabiliuntur; quis ea perſcrutari melius poterat, quàm ipſe qui ea in libro ſtabiliverat?

Planè ut audiendus fuerit Auctor, enixè ſupplicans, communicari ſibi propoſitiones delatas, ut ſi qua eſſet quæ ad errorem

rem tendere posse videretur, *eam absque ambiguitate aut tergiversatione, vel retractaret, vel explicaret, nè quis de doctrina aut mente ipsius, aut de vero ac genuino libri ipsius sensu dubitandi locus superesset.*

Erat & alia ratio, propter quam audiri supplicabat Auctor & audiri debuerat: ut refutare posset calumnias, quæ in ipsum jactatæ fuerant, & *in ipsum etiam Librum recidere possent; si propositiones extractæ in alienum sensum contortæ, ex dictis & calumniis adversariorum magis, quàm ex mente, scopo, proposito, institutoque ipsius æstimarentur.* Sic enim fieri solet, ut ex persona æstimentur propositiones vel liber: & quod Catholicum v. g. habetur in ore vel Libro Augustini, id in ore vel libro Hæretici, aut qui per calumnias hæreticus creditur, habeatur hæreticum. Sed neque propter hanc rationem Auctor *Considerationum Moralium* obtinuit, ut audiretur.

Quâ ergo sinceritate dicere potuerunt Magistri vestri, *quòd agnoscant &* SINCERE *sentiant, omnia & singula ritè, legitimè, ac juris ordine peracta esse in negotio concernente Librum?* Aut quâ justitiâ *purè, simpliciciter, sine hæsitatione, sine exceptione, sine explicatione*, amplecti potuêre Constitutionem, quæ Librum *Considerationum Moralium*, Auctore non audito, hoc est, non servato juris ordine, condemnat?

II.

II.

Illegitimè condemnatur Liber Considerationum Moralium ex judicio & suffragio Virorum, qui non sunt ab omni suspicione intacti, atque à partium studio remoti.

Supplicaverat *Considerationum* Auctor in suâ ad Clementem XI. summum Pontificem Epistola his verbis : " Ut Regula ab Alexandro felicis memoriæ Papa VII. in Observationibus ad decimam Indicis Regulam de examinandis Libris præscripta, etiam in hac occasione teneatur : ut scilicet inter Consultores aut Qualificatores, qui vel de Libro ipso, vel de propositionibus è Libro extrahendis, suffragium ferrent, non alii annumerentur, nisi quos *doctrinâ morumque integritate probatos, ab omni suspicione & à partium studio, atque ab amoris & odii stimulis prorsus remotos* esse Sanctitas vestra certò cognoverit.

Sed hoc sibi negatum fuisse queritur idem Auctor in sua *Querimonia ac Protestatione contra condemnationem centum & unius propositionum, & contra errores illi attributos*, in hæc verba : " Hac de causa, statim atque intellexi anno 1712. constitutam à summo Pontifice congregationem, delectosque Judices qui perpenderent librum *Considerationum moralium* super Novo Testamento, in eumque deinceps ferrent sententiam, nihil

„ nihil prorsùs negligendum statui, quo „ posset iri obviam fraudi & calumniæ; „ ratus id à me deberi & ipsi veritati, & „ sacerdotio, quo, indignus licet, co- „ honestatus sum & meæ ipsius innocen- „ tiæ. Nec enim ignorabam Jesuitas to- „ tius hujusce tragediæ duces esse, aucto- „ res & actores; atque adeò illos mihi „ habendos esse in hac causa eosdem te- „ stes, accusatores, judices. Quid autem „ mihi non erat metuendum ab occultis „ eorum insidiis, & illa præpotente gratia, „ quâ valent ac dominantur apud sum- „ mum Pontificem. Ad eum igitur Epi- „ stolam scripsi plenam obsequii & reve- „ rentiæ, quâ duo enixè & suppliciter „ deprecabar; ut me non damnaret inau- „ ditum, nec daret in hanc rem cogni- „ tores ac judices, qui mihi essent jure „ ac meritò suspecti. Utrumque congru- „ um est non solùm jure canonico, „ sed etiam maximè sacris & inviolatis „ naturæ legibus, utrumque tamen, quod „ vix credibile videbitur, mihi planè de- „ negatum est. Quo patet mihi prorsus „ occlusum fuisse, & omni ratione obval- „ latum justitiæ sacrarium. *Vidi sub sole* „ *in loco judicii * * * in loco Justitiæ* „ * * * Consultores omnes, excepto u- „ no, quem ipsum postea arcanis artibus „ ab hoc judicio summoverunt, Cardina- „ lis Fabroni ac Jesuitarum factioni & par- „ tibus erant devotissimi, & verò compe- „ ri Romanæ Curiæ administrum, qui „ tunc in exteris oris versabatur, cùm le- „ gisset indicem eorum qui ad examinan- „ dum hunc librum selecti fuerant, excla-

„ masse

„ masse plurimis audientibus : *Actum prorsus de Cardinali Noallio, non inde se expediet. Novi*, inquiebat, *Consultores istos, rerum istarum minimè gnari sunt, Jesuitis addicti.*

Non ignorârunt hæc, aut poterant certè non ignorare, si vellent, Magistri vestri, dum 8. Julii 17.5. edebant *Declarationem* suam, in quâ dicunt *agnoscere se & sincerè sentire, omnia & singula ritè, legitimè, ac juris ordine peracta esse in negotio concernente librum :* Nam die prima ejusdem anni publicam fecit *Considerationum* Auctor *Querimoniam ac Protestationem* suam, ubi post sensa sua accuratè & sincerè declarata, expositos fideliter sensus veros centum & unius propositionum condemnatarum, ait confidere se, forè ut Lectores sapientes & integri convincantur de injustitiâ Libro *Considerationum Moralium* illatâ : cúmque tunc spes non esset inveniendi tribunal, ubi justitiam postularet adversus Libri istius condemnationem, *contra omnes formalitates canonicas* attentatam ; protestatur adversus omne id, quod irregulariter deinceps fiet, sive via facti, sive aliter pro *Constitutione*, & condemnatione 101. propositionum ac Libri, quam pronuntiat *Constitutio.*

Fortassè *protestationem* non legerint Magistri vestri : sed hoc eos tutos non reddet ab injustitiâ, quâ Librum *Considerationum* non legitimè condemnatum condemnant.

III.

III.

Aliæ rationes afferuntur, ob quas debuerant Facultatis Sacræ Lovaniensis Magistri condemnationem Libri Considerationum Moralium non recipere.

Præterquàm quod Liber *Considerationum Moralium* condemnatus fuerit sine forma legitima, atque ob id solùm recipi non debuerit illius condemnatio; variæ etiam sunt rationes aliæ, quæ illam recipiendam non fuisse persuadent.

Prima est, quòd Liber condemnatus non fuerit, nisi propter propositiones centum & unam, quæ ex illo excerptæ dicuntur. Jam verò propositiones illæ pleræque sensu obvio & naturali non exhibent nisi aut ipsa fidei ac religionis Catholicæ dogmata, aut prima ac præcipua Moralis Christianæ fundamenta, aut sanctissimas regulas administrandi sacramentum pœnitentiæ, aut capita disciplinæ Ecclesiasticæ gravissima. Si quæ verò propositiones, spectatæ secundùm se, sensum erroneum præ se ferant; eæ, si spectentur in ipso Libro cum suo contextu & adjunctis, deprehendentur esse verissimæ. & tamen in Constitutione dicuntur *fideliter extractæ*, exemplo sit propositio 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia:* Quæ seorsim spectata, errorem præfert manifestum: significat eum nullam gatiam, etiam actualem, concedi extra Ecclesiam: si autem spectetur ut est in libro *Considerationum Moralium* cum con-

contextu suo & adjunctis; patebit evidenter non aliud eam significare, quàm extra Ecclesiam non concedi gratiam habitualem seu justificantem, quæ peccata remittit.

Si consuluissent Magistri Vestri ipsum librum *Considerationum* in cap. 10. Luc. v. 34. 35. & 36. undè propositio extracta est, deprehendissent apertè, non tantùm non dicere Auctorem, *Quòd extra Ecclesiam nulla concedatur gratia*; sed significare ibidem in v. 34. disertissimè, quòd extra Ecclesiam concedantur multæ gratiæ actuales, quibus qui extra Ecclesiam adhuc est, ad ingrediendum Ecclesiam, recipiendumque in ea gratiam habitualem ac remissionem peccatorum disponitur ac præparatur.

Altera ratio est, quòd inter propositiones, ob quas liber condemnatur, plures sint, quæ sunt ipsæ Sacrarum Litterarum aut Sanctorum Patrum sententiæ.

Rom. 3. 1 Cor. 13. Quid aliud sonat propositio 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem:* nisi quòd sonant hæ sententiæ Apostoli: *Arbitramur enim* JUSTIFICARI HOMINEM PER FIDEM: & , *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*, CHARITATEM AUTEM NON HABUERO NIHIL SUM *Nos enim Spiritu* EX FIDE, SPEM JUSTITIÆ EXSPECTAMUS. *Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium;* SED FIDES QUÆ PER CHARITATEM OPERATUR. (Gal. 5.)

Quid aliud sonant hæ propositiones condemnatæ: *Sola charitas est quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.* 54. *Deus non coro-*

coronat nisi charitatem, qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit. 55. *Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.* 56. & similes : nisi quod sonant hæ propositiones Apostolicæ : *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans & cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13. Ib. v. 2. Ib. v. 3.

Quid aliud sonat propositio 13. *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit inferiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit :* quàm quod hæc propositio Scripturæ : *Non est qui tuæ possit resistere voluntati, si decreveris salvare Israël.* Et hæc Augustini : *Deo volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium.* Esth. 13. De Cor. & Gr. c. 14.

Quid aliud sonat propositio 30. *Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter :* quàm hi versus Prosperi :

At si nemo usquam est, quem non velit esse redemptum;
Haud dubiè impletur quidquid vult summa potestas.

Quid aliud sonat propositio 26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem;* & 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum;* nisi quod hæc Augustini : *Fides prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur.* De Præd. SS. c. 7.

Quid

Quid aliud *sonat* propositio 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris*: nisi quod Scriptura: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.... si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis*: & quod Augustinus: *In bono liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit: si vos filius liberaverit, verè liberi eritis. Nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit.*

Joan. 8. De Cor. & Gr. c. 1 L. 1. contra Ep. Pelag. c. 3.

Quid aliud sonat propositio 46. *Cupiditas aut charitas, usum sensuum bonum vel malum faciunt*: nisi quod hæ sententiæ Augustini: *Non faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores. Donis Dei non bene utitur nisi charitas. Sine amore creatoris nullus quisquam bene utitur creaturis.*

Ep. 155. Lib. 2. ad Simpl. Q. 1 n. 10. L. 4. cont. Jul. c. 3.

Plura exempla hujusmodi obvia sunt in Constitutione. Hæ sufficiunt, ut intelligant Magistri vestri, non debuisse recipi condemnationem Libri *Considerationum Moralium*, quando in eo notantur, ut condemnatione dignæ propositiones, quæ sensu quidem eædem sunt cum Scripturæ Sacræ & SS. Patrum sententiis; verbis autem eædem, vel iis simillimæ

Tertia ratio est, quòd Liber *Considerationum Moralium* summâ cum laude probatus fuerit à pluribus Galliæ Episcopis, Cleroque & populo vehementer commendatus; quòd per annos circiter triginta in Gallia & Belgio universo à pluribus Cardinalibus & Episcopis, ab omnibus passim Pastoribus, Directoribus animarum, Concionatoribus, totoque adeò clero, atque ab omnis ordinis, ætatis, & sexus fidelibus lectus fuerit; quòd ab ipsis Theologis

Lova-

Lovanienſibus, quò latiùs diffunderetur, è Gallico in Latinum verſus: neque per tantum temporis ſpatium ullus in eo error obſervatus fuerit, aut nata de eo omnis erroris ſuſpicio. Adeò ut ad SS. D. N. Clementem XI. ſummum Pontificem die 22. Julii & iterum die 22. Septembris 1712. confidenter ſcriberet *Conſiderationum* Auctor in hæc verba: *Non de obſcuro quodam ac nullius momenti libello agitur, ſed de eo libro qui auctoritatem jam obtinuit longo fidelium uſu corroboratam, legitimorumque ſuperiorum ac graviſſimorum Epiſcoporum & Theologorum approbatione confirmatam; quo judicio periclitante, ſimul totius ferè Galliæ, quæ Librum hunc ſine offenſione per annos plusquam quadraginta legit, judicium in diſcrimen adducitur.*

Quærimus à Magiſtris veſtris primùm, an veroſimile ſit, ſubitò poſt annos tandem triginta apparuiſſe in eo libro centum propoſitiones & unam, condemnatione dignas, quas antè in eo nullus obſervaverat? deindè, an judicium iſtud publicum totius prope Galliæ & Belgii, quo Liber tanto tempore probatus fuit; præponderare non debeat judicio paucorum Conſultorum, & pauciorum Cardinalium, quo condemnatus eſt? demùm, an non debuiſſent ipſi, his expenſis, ſi nollent Librum abſolvere, ſaltem illius condemnationem purè ac ſimpliciter non recipere?

Quarta ratio eſt, quòd conſtaret omnium illarum machinationum adverſus Librum *Conſiderationum*, tum in Gallia, tum Romæ, Auctores, Promotores, & incentores

tores fuisse Jesuitas; essetque manifestum, propositiones omnes, quas ex Libro excerpserant, ac denuntiaverant, eo consilio selectas fuisse, ut si condemnarentur, tota ipsorum doctrina, sive de gratia & libero arbitrio, sive de moribus actibusque humanis, sive de administrando Sacramento pœnitentiæ, à sede Apostolica probari videretur; tota verò doctrina eorum, qui ab ipsis dissentiunt reprobari.

Cùm enim summâ & apud Romanum Pontificem & apud Regem Christianissimum auctoritate valerent, tempore utendum putârunt, colligendamque veluti in fasciculum totam adversariorum suorum doctrinam, quam simul & semel fulmen Vaticanum absumeret. Hoc Molinistarum consilium si ritè expendissent Magistri Vestri, numquam condemnationem Libri *Considerationum* purè ac simpliciter recepissent.

Postrema ratio est, quòd Romæ jam pridem invisus sit *Considerationum* Auctor, eâ præcipuè de causâ, quod ediderit MAGNI LEONIS OPERA cum DISSERTATIONIBUS & NOTIS, in quibus strenuè *Libertates Ecclesiæ Gallicanæ* adversùs Curiam Romanam propugnat. Hoc autem Romæ crimen est, quod numquam remittitur; soletque juxta stylum illius Curiæ plecti condemnatione Librorum scriptoris, qui id ausus est. Atque hoc etiam remorari debebat Magistros vestros, nè condemnationem Libri *Considerationum* SINE HÆSITATIONE reciperent, quam *in odium Auctoris*, ut dici solet, factam esse suspicari sine temeritate potuissent.

CAPUT

CAPUT TERTIUM

Ubi

Evertitur Declarationis Fundamentum, Opinio ſcilicet de infallibilitate ſummi Pontificis.

UNum *Declarationis* ſuæ fundamentum eſſe opinionem de ſummi Pontificis infallibilitate, ſignificant Magiſtri Veſtri, dum ajunt: *Omnibus Litteratis notum eſſe, vel eſſe debere, quòd Facultas..... exemplo Majorum ſuorum ſemper ac conſtanter ſteterit, & hodiè dum ſtet pro Romani Pontificis, univerſalem Eccleſiam in materia fidei aut morum docentis, infallibilitate; quòdque proindè Conſtitutiones Apoſtolicas, tam eas quæ contra Bajanos & Janſenianos errores ac hæreſes editæ ſunt, quàm alias quaslibet, corde & ore receperit, ac recipiat.* Ubi ſic ratiocinantur Magiſtri Veſtri: " Omnibus notum eſt, „ quòd Facultas noſtra exemplo Majorum „ ſuorum ſemper ac conſtanter ſteterit, „ hodièque ſtet pro Romani Pontificis, „ univerſalem Eccleſiam in materia fidei „ aut morum docentis, infallibilitate: er„ go omnibus notum eſt, quòd Conſti„ tutiones omnes Apoſtolicas, tam eas, „ quæ contra Bajanos & Janſenianos er„ rores ac hæreſes editæ ſunt, quàm ali„ as quaslibet, corde & ore receperit ac „ recipiat.

In quo argumento errant dupliciter : primùm, afferendo Facultatem fuam exemplo Majorum fuorum femper ac conftanter ftetiffe pro Romani Pontificis infallibilitate (Quo fefe in rebus Facultatis fuæ peregrinos effe oftendunt) Deindè inferendo, notum effe quòd Facultas Conftitutiones omnes Apoftolicas recipiat, ex eo quòd notum fit, eam ftare pro infallibilitate Romani Pontificis: quam confequentiam nullam effe, mirum fanè eft ab iis animadverfum non effe.

Adverfùs errores iftos demonftrabimus hoc Capite.

I. Facultatem Theologicam Lovanienfem non femper pro infallibilitate Romani Pontificis ftetiffe.

II. Ut daretur, quòd pro ea femper fteterit; nequaquam tamen indè confequens effe, quòd Conftitutiones omnes Apoftolicas receperit, aut recipere debuerit.

III. Opinionem de infallibilitate Romani Pontificis, neque in facris Litteris, neque in SS. Patribus, neque in Conciliis, aut traditione, neque in autoritate alia, neque in ratione fundatam effe; fed ab ipfa Ecclefia in Conciliis damnatam.

IV. Nihil periculofius effe, quàm Opinionem de infallibilitate Romani Pontificis propugnare ac propagare, dum nil periculi eft in doctrina oppofita.

§ I.

§. I.

Ostenditur, quòd Facultas Theologica Lovaniensis non semper steterit pro infallibilitate Romani Pontificis.

Varias Facultatis Theologiæ Lovaniensis distinguemus ætates, & quas circa infallibilitatem Romani Pontificis vicissitudines passa sit, quantùm assequi licebit, examinabimus.

I.

Facultas Theologica Lovaniensis ab ipso exordio stetit contra infallibilitatem summi Pontificis.

Instituta est ea Facultas anno 1431. ab Eugenio IV. summo Pontifice: eodemque anno celebrari cœpta est Synodus Basileensis, in qua illustre de Facultatis Theologicæ Lovaniensis circa Pontificem doctrinâ testimonium post annos circiter septem perhibuit *Ludovicus Protonotarius*, *Vir*, teste Æneâ Sylvio, *non Româ tantùm, sed cœlo dignus; & cui nemo mortalium comparandus videretur: non admirationi, sed stupori futurus omnibus populis, si ut æquum videbatur, ætatis tempora duplicasset.* Comment. de gestis Basil. Concilii Lib. 1.

Disceptabatur vehementer in Synodo de octo *Conclusionibus*, quas ibidem recenset Æneas Sylvius; ac præcipuè de hâc, quæ prima erat, & è quâ pendebant cæteræ:

VERITAS EST CATHOLICÆ FIDEI, SACRUM GENERALE CONCILIUM SUPRA PAPAM ET ALIUM QUEMVIS, POTESTATEM HABERE: Cumque illi se opponeret cum aliis quibusdam Ludovicus Protonotarius; *Venerandæ auctoritatis Amedeus Lugdunensis Archiepiscopus, Galliarumque primas, zelo fidei tactus, quam tunc impediri, supprimique cernebat: Habeo, inquit, Reverendissimi Patres, non parvam loquendi occasionem: septem namque, aut eò plus annis, apud vos sum, nec unquam rem, sicuti nunc, miraculo similem vidi...... unde, obsecro, tam repens mutatio; ...... Video hic novam turbam, pluribusque invisam mensibus Novos aspicio Prælatos, qui usque in hanc diem tacuerunt, nunc loquaces sunt facti: nnmquid hoc est miraculo simile? Utinam tamen ad veritatem defendendam, non ad justitiam impugnandam venissent! Illud autem majus omni miraculo videtur: quoniam viros omnium doctissimos conclusiones nostras impugnare video, quæ certæ & verissimæ sunt, & ab illis, qui eas nunc reprobant, aliàs approbatæ. Nec nos fugit, Ludovicum Protonotarium has veritates Lovanii ac Coloniæ prædicasse, easque illinc* UNIVERSALIS STUDII AUCTORITATE FIRMATAS *reportasse. Quare si ipse nunc mutatus est, veritas tamen non est mutata. Ideóque vos rogo obtestorque, nè aures his præbeatis, qui quamvis doctissimi sunt, eam tamen, quæ omnes virtutes decorat, constantiam non habent.*

Quid ad hæc Ludovicus? negavitne, quod affirmabat Lugdunensis Archi-Episcopus?

pus? minimè: sed eo *finiente*, *illicò Ludovicus assurgens*: *Verum est*, *ait*, *illas me apportasse veritates*: *vos tamen eas fidei veritates nuncupatis*; *quæ adjectio mihi subdubia est.* Hæc Æneas Sylvius, postea Pius II. summus Pòntifex, in comment. de gestis Basil. Concilii Lib. 1.

Erat ergo Lovanii ab ipso Facultatis exordio, *Universalis studii auctoritate firmata hæc veritas*: *sacrum generale Concilium supra Papam & alium quemvis potestatem habere.*

Neque historiam illam de Ludovico Protonotario retractat Æneas Sylvius, jam Pius II. Pontifex factus, in *Bulla Retractionum*; sed egregiè confirmat: sic enim in ea loquitur de iis qui erant in Basileensi Concilio: *Aderant Legati Parisiensis Scholæ*, *cujus est fama percelebris*: *affuerunt & aliquando vestri* (Colonienses) *& aliorum studiorum Germanicæ Nationis Oratores*: *& uno cuncti ore Concilii generalis auctoritatem ad cælum efferebant*: *de potestate Romani Pontificis pauci erant*, *qui loqui præsumerent*..... *adversùs Concilii dignitatem mutire aliquid crimen hæresis fuit. Una omnium vox Concilium Eugenio præferebat*: *de sedis Apostolicæ præcellentia aut silentium aut contemptus*: *Concilium*, *Concilium*, *cuncta sonabant.*

Quin adeò tunc persuasum erat omnibus, quòd Concilium esset supra Pontificem, & Pontifex in iis, quæ fidei sunt, errare posset; ut id tanquam CERTUM asseverare non dubitarent Patres Concilii Basileensis in *Responsione Synodali* datâ Basileæ in Congregatione generali 2. Nonas Septembris,

 Anno

Anno à nativitate Domini millesimo quadragentesimo trigesimo secundo. Sic enim loquuntur: *Etsi* (Pontifex) *sit caput ministeriale Ecclesiæ*, NON TAMEN EST MAJOR TOTA ECCLESIA. *Alioquin errante Pontifice*, SICUT SÆPE CONTINGIT, *& contingere potest, tota erraret Ecclesia, quod esse non potest..... Nec quis dicat, quòd ipsa pars principalis potentior est ac dignior reliquo toto corpore & cæteris membris, & per consequens illi potius obediendum: quia ratio, experientia, & auctoritas, dictant contrarium. Ratio, quia reliquum totum corpus, etiam non computato Papâ, secundùm legem communem errare non potest in his quæ sunt fidei. Alioquin, si errare posset*, CUM CERTUM SIT PAPAM ERRARE POSSE, *tunc & Papa & reliquo toto corpore errantibus, tota erraret Ecclesia, quod esse non potest. Experientia etiam demonstrat, quia sæpe experti sumus & legimus Papam, licèt caput & principalem partem, errasse..... Authoritas etiam Scripturæ Evangelicæ idem probat. Nam hoc quod dixit Christus:* Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ..... *omnes homines comprehendit.*

Neque sanè mirum, eam tunc de Pontifice doctrinam certam passim fuisse apud omnes; cùm paucis antè annis definivisset Concilium generale Constantiense: *Quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis*, ETIAMSI PAPALIS EXISTAT, *obedire*

re tenetur IN HIS QUÆ PERTINENT AD FIDEM *& exstirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclecclesiæ Dei in capite & in membris.* Sess. 4. Decreto I.

Unde Æneas Sylvius loco supra citato post multa, quæ allegaverat, argumenta: *Multis ut mihi videtur, rationibus ac testibus probatum est*, ait, *Ecclesiam non errare, quod de Romanis Pontificibus non asseritur, quæ ratio haud ineptè summum Pontificem Ecclesiæ subjicit..... sunt tamen & alia testimonia, aliæque rationes, de quibus etiam hoc loco aggrediar dicere. Si auctoritas quæritur*, inquit Hieronymus, ... ORBIS MAJOR EST URBE. *Quid tum obsecro, Hieronyme? magnus est Papa, quia Romanæ præest Ecclesiæ: magna est ejus auctoritas: major tamen est universalis Ecclesia, quæ non urbem unam dumtaxat, sed totum complectitur orbem.* Et post alia: *opinio sicut jam liquet*, OMNIUM MORTUORUM EST, inquit, ... *quia R. Pontifex universali Ecclesiæ subjectus existit* NEQUE HOC VIVENTES NEGARE AUDENT.

Constat ergo ipsius Æneæ Sylvii, summi postea Pontificis, testimonio, Facultatem Theologicam Lovaniensem ab ipso suo exordio auctoritate suâ firmasse hanc cum mortuis omnibus & viventibus veritatem: *Papam subesse Concilio, & posse errare.*

II.

In eadem sententia perstitit Facultas Theologica Lovaniensis per sæculum circiter à suo exortu.

Patet hoc duplici argumento, quorum alterum positivum est, alterum negativum; utrumque solidissimum

Positivum sumitur ex Adriano VI. Facultatis Theologicæ Lovaniensis primùm Doctore, deinde Pontifice Maximo, qui acceptam à Majoribus doctrinam, non ut dubiam, sed ut certam posteris tradidit in 4. sent. de Ministro confirmationis: CERTUM EST, inquit, QUOD (Pontifex) POSSIT ERRARE ETIAM IN IIS, QUÆ TANGUNT FIDEM, *hæresim per suam determinationem, aut decretalem asserendo.*

Probat exemplis plurium Pontificum, qui erraverunt: *Plures enim*, inquit, *fuerunt Pontifices Romani hæretici: item & novissimè fertur de Joanne XXII. qui publicè docuit, declaravit, &* AB OMNIBUS TENERI *mandavit, quòd animæ purgatæ ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei, & Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo poterat in ea gradum in Theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem pestiferum jurasset se defensurum, & perpetuò ei adhæsurum. Item patet hoc de errore quorumdam Pontificum circa matrimonium, de quo in cap.* Licèt De Sponf. duorum. *Item patet hoc de errore, quem ediderat Cælesti-*

lestinus circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresim, cujus error olim habebatur in alia compilatione in cap. Laudabilem, De converſ. conjug. *ut refert Oſtienſis in cap.* Quantò, De divortiis.

Ad factum verò Gregorii, quod ſibi objecerat, ſic reſpondet: *Non tamen dico Gregorium hic errare, ſed* EVACUARE INTENDO IMPOSSIBILITATEM ERRANDI, QUAM ALII ASSERUNT.

Ex his manifeſtè refelluntur, qui locum iſtum Adriani exponunt de Pontifice non definiente ex Cathedra: nam *intendit* Adrianus, ut ipſe ait, *evacuare impoſſibilitatem errandi, quam alii aſſerunt*. At quam alii impoſſibilitatem errandi Pontifici aſſerunt? Non aliam ſanè, quàm *impoſſibilitatem errandi*, cùm definit ex Cathedra: equidem poſſe eum errare, cùm non definit ex cathedra, ſemper admiſerunt, & etiamnum admittunt omnes: Intendit ergo Adrianus *evacuare impoſſibilitatem errandi* in Pontifice, cùm definit ex Cathedra: proinde juxta illum CERTUM EST, QUOD POSSIT ERRARE ETIAM IN IIS QUÆ TANGUNT FIDEM, HÆRESIM PER SUAM DETERMINATIONEM AUT DECRETALEM ASSERENDO EX CATHEDRA, ſeu, ut loquuntur Magiſtri Veſtri, UNIVERSALEM ECCLESIAM DOCENDO.

Neque ſententiam mutavit Adrianus, ex Doctore Lovanienſi jam Pontifex; quemadmodum ſuam mutaverat Æneas Sylvius, jam factus Pius II. Sed ut declararet omnibus, in antiquâ ſe doctrinâ perſiſtere, Commentarios in quartum ſen-

tent. quos Doctor Lovanienſis ediderat, typis Romanis jam Pontifex factus recudi mandavit.

Hiſce convictus Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 2. fatetur ingenuè, Adriani VI. Papæ in quæſtione de confirmatione ſententiam eſſe: *Pontificem*, ETIAM UT PONTIFICEM, *poſſe eſſe hæreticum*, & DOCERE HÆRESIM, *ſi abſque Generali Concilio definiat*, & *de facto aliquando accidiſſe.*

Nec minus ingenuè Pallavicinus Lib. 18. Hiſt. Concil. Trid. Cap. 15. *Eâ tempeſtate*, inquit, & *proximè ſuperiori*, *duo mirabilia exempla edidit Deus*, ut oſtenderet quàm ſincerè ab Eccleſia Romana diſtribuerentur præmia. Unum extitit in Æneâ Sylvio. . . . . Alterum *in Adriano Florentio*, *qui quanquam ſuſtinuiſſet in ſuis Commentariis aliquam in Conciliis prærogativam ſupra Pontificem*, *tamen à Leone in Collegium cooptatus eſt*, & *poſt ejus mortem electus Pontifex.*

Perſtitit ergo Adrianus VI. in primævâ Facultatis Theologicæ Lovanienſis ſententia in ipſo Pontificatu, quem poſtquam annum unum, menſes octo, & dies ſex felici auſpicio geſſerat, vitâ functus eſt xviij. Kal. Octob. Anno 1523.

Ipſo autem adhuc vivente, à ſuâ ſententiâ receſſiſſe alios Facultâtis Theologicæ Lovanii Doctores, dum in eâ ſtabat ſummus Pontifex, veroſimile non eſt.

Proindè ab anno 1431. quo Facultas Theologica Lovanienſis exorta eſt, uſque ad annum 1523. hoc eſt, ferè per ſæculum, ſtetit contra infallibilitatem Pontificis. Fir-

Firmatur id argumento negativo, quod est hujusmodi:

Nullus prorsus Facultatis Theologicæ Lovaniensis Theologus proferri potest, qui ante annum 1519. pro Romani Pontificis infallibilitate steterit: proferri autem posset, si quis pro ea stetisset: ergo.

Argumenti antecedens agnoscit Auctor scripti editi anno 1682. hoc titulo: *Doctrina, quam de primatu, auctoritate, ac infallibilitate Romani Pontificis tradiderunt Lovanienses S. Theol. Magistri ac Professores, tam veteres, quàm recentiores, propriis ipsorum verbis ac probationibus expressa, declarationi Cleri Gallicani de Ecclesiastica potestate nuper editæ, opposita*: ubi in ipso titulo profitetur se exhibere *doctrinam quam tradiderunt Lovanienses S. Theol. Magistri ac Professores tam veteres, quàm recentiores:* & tamen nullum profert ante JACOBUM LATOMUM, quem scripsisse dicit Opusculum *de primatu Romani Pontificis adversùs Lutherum* anno 1519.

Ac proinde nullum è Magistris Facultatis Theol. Lovaniensis ante annum istum proferri posse, qui pro Romani Pontificis infallibilitate steterit, tacitus agnoscit. Sed neque Jacobum Latomum tunc pro eâ stetisse, jam ostendemus.

III.

Pro Romani Pontificis infallibilitate non stetit anno 1519. JACOBUS LATOMUS, *nec alius tunc Facultatis Theologicæ Lovaniensis Magister.*

Testis, saltem tacitus, est ipse Auctor scripti jam citati, dum alium illius temporis, præter Jacobum Latomum, non profert: quæ verò adfert ex Jacobo Latomo, ea nequaquam ostendunt Latomum pro infallibilitate Romani Pontificis stetisse; sed potiùs probant oppositum.

Adfert opusculum Latomi *De primatu Romani Pontificis adversus Lutherum* cap. 5. sed quæ ex eo citat, non probant aliud, quàm Latomum stetisse pro Romani Pontificis primatu; pro quo cum Latomo stant etiam illi, qui infallibilitatem Romani Pontificis impugnant.

Citat etiam Latomum in eodem opusculo cap. 3. parte 5. Verùm nec eo loco vel verbum facit Latomus de infallibilitate Romani Pontificis; sed tantùm de primatu.

Citat eundem *de variis quæstionum generibus.*

At nec in istis quæstionibus infallibilitatem Pontificis tuetur Latomus; sed contra declarat se quæstionem istam ingredi non velle, ut patet ex ipsis verbis Latomi, quæ citat Auctor scripti, *Doctrina* &c. quæque hic prolixiùs ex ipso Latomo describemus.

Postquam varia Lutheri dogmata in istis quæst-

quæstionibus retulerat Latomus, sic tandem concludit: " Ista igitur & hujusmodi non sunt de numero eorum, quæ licitè in Ecclesia utrimque disputantur, „ sed quæ certa haberi debent, & de quibus dubitare non oportet. „

Adversùs hæc sibi objicit: " Judicium „ finale in rebus fidei & Religionis esse apud generale vel universale Concilium, „ à quo nondum est hæresis Lutherana judicata & damnata: ergo non est ab omnibus pro hæresi habenda & vitanda.

Respondet non valere objectionem: „ Quia, inquit, Lutherus non habet unam aliquam hæresim particularem novam, & quæ priùs non fuerit: sed habet hæreses olim à Conciliis damnatas..... „ in quibus non est opus novâ sententiâ, „ sed antiqua sufficit.....

Deindè: " Dato etiam, inquit, quòd „ novam hæresim fecisset, non tamen opus esset synodo ad illius damnationem, „ ut apertè probant verba Augustini in fine libri 4. contra Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium. " Quæ postquam citaverat: " Ex istis, inquit, „ verbis Augustini clarè habetur, non opus esse synodo generali vel universali „ pro aliquâ hæresi damnanda, imo neque synodo particulari: secundò habetur, quòd sine synodo fit, plerumque „ contra hæreticos, & exercetur sufficiens „ competens judicium.....

„ Aliud enim est judicium sufficientissimum, aliud sufficiens. Sufficiens enim est, quando debito ordine per judicem competentem exercetur. Suffici-

„ entissimum verò, quando non solùm „ per judicem competentem, sed per ju- „ dicem supremum cæteris paribus sententia „ fertur. Igitur NON INGREDIENDO „ DIFFICULTATEM, AN PAPA „ SIT SUPRA CONCILIUM, VEL „ È CONVERSO, satis est præsenti pro- „ posito, quòd hæresis Lutherana nomina- „ tim in articulis supra nominatis à sede „ Apostolica damnata est. Nemo enim, „ nisi nimium contentiosus, negabit Apo- „ stolicam sedem esse judicem competen- „ tem.

Ex his constat, Latomum noluisse ingredi difficultatem: *An judicium finale in rebus fidei & religionis sit apud generale vel universale Concilium*, seu (ut postea exprimit) *an Papa sit supra Concilium, vel è converso*: sed satis ipsi fuisse demonstrasse hoc unum, quòd sedes Apostolica fuerit *Judex competens* in judicanda & damnanda hæresi Lutherana.

Non stetit ergò pro infallibilitate Romani Pontificis Jacobus Latomus anno 1519. nec ullus alius è Facultate Theologica Lovaniensi tunc Magister; cùm alium nullum proferre possit Auctor scripti, *Doctrina* &c. qui de industria *Doctrinam*, *quam de infallibilitate Romani Pontificis tradiderunt Lovanienses S. Theol. Magistri ac Professores*, *tam veteres quàm recentiores*, magno studio collegit.

IV.

IV.

***Pro infallibilitate Romani Pontificis non stetit Facultas Theologica Lovaniensis in Articulis* 32. *quos jussu Caroli V. Imperatoris edidit Anno* 1544.**

Varios ex Articulis istis producit Auctor scripti, de quo paulò ante, ut probet Facultatem Theologicam Lovaniensem anno 1544. pro Romani Pontificis infallibilitate stetisse: sed frustra.

„ Per eum, inquit, qui in ordine est „ Articulus vigesimus secundus (nobis vi„ gesimus primus) ita statuitur: *Firmâ fi„ de tenendum est, unam esse in terris ve„ ram, atque Catholicam Christi Ecclesiam, „ eamque visibilem, quæ ab Apostolis fun„ data in hanc usque nostram ætatem per„ durans; retinet & suscipit, quidquid de „ fide & religione tradidit, tradit, & tra„ ditura est cathedra Petri: super quam „ ita à Christo sponso suo est ædificata, ut „ in his quæ fidei sunt & Religionis, erra„ re non possit.*

Sed ex hoc Articulo aliud erui non potest, quàm errare non posse *Cathedram Petri*, &, quæ super eam ædificata est, *Ecclesiam*: per *Cathedram* autem *Petri* intelligi Romanum Pontificem, quis dixerit? Aliud prorsus est *Cathedra Petri*, aliud *Romanus Pontifex*: nec dicit Facultas, quòd Ecclesia retineat & suscipiat, quidquid de fide & religione tradidit, tradit, & traditura est *Cathedra Petri*. Quæ autem sit ista *Cathedra Petri*, mox ad Art. 25. explicabitur. Ad-

Adfert deinde Articulum 23. qui ita habet: *Unus est Ecclesiæ summus Pastor, cui omnes obedire tenentur; ad cujus judicium controversiæ, quæ super fide & religione existunt, sunt referendæ.* Et Articulum 24. *Summam hanc Præposituram primus omnium gessit S. Petrus, verus Christi in terris Vicarius, & totius familiæ ejus Pastor. Post Petrum verò ex Christi institutione, omnes deinceps Pontifices, Petri in Cathedra Successores.*

Sed quid in his est, undè exsculpi possit Romani Pontificis infallibilitas? An quòd *ipsi omnes obedire teneantur*? Sed & omnes obedire tenentur aliis suis superioribus: nec tamen propterea infallibiles sunt. An, quòd *ad judicium ipsius controversiæ, quæ super fide & religione existunt*, referendæ sint? Sed referendæ etiam sunt controversiæ hujusmodi ad Episcopos alios, dum in ipsorum diæcesibus oriuntur: at non propterea infallibiles sunt in iis decidendis. An quod *summus sit Pastor Ecclesiæ*? At summus est, quia aliis singulis ex Christi institutione præpositus ac prælatus: sed ipse Ecclesiæ universæ subjectus: ideóque nec infallibilis.

Postremò allegat Articulum 25. *Certâ fide tenenda sunt, non solùm quæ scripturis expressè sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt super fidei & morum negotiis, per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitimè congregata.*

Sed neque hìc verbum est de Romano Pontifice: *Certâ fide tenenda sunt*, ait Facul-

cultas, *quæ definita sunt* PER CATHEDRAM PETRI VEL PER CONCILIA GENERALIA LEGITIME' CONGREGATA. Ubi si per *Cathedram Petri* intelligas *Romanum Pontificem*, ineptè intelligis: aliud enim est *Cathedra Petri*, aliud *Romanus Pontifex*.

Si cui tamen sic ineptire libeat, is poterit hoc argumento convinci: '' Verosimile non est, quòd Facultas Theologica adversus Lutherum statuere voluerit, CERTA FIDE tenendum esse, Romanum Pontificem esse infallibilem: nam ne hodie quidem id profitetur Facultas, quamvis se pro infallibilitate stare declaret: sed hoc contra Lutherum statuisse dici debet Facultas, si per *Cathedram Petri* intellexerit *Romanum Pontificem*: dicit enim CERTA FIDE *tenenda esse* quæ definita sunt per CATHEDRAM PETRI, hoc est ut alii intelligunt, per ROMANUM PONTIFICEM: non potest autem dici, CERTA FIDE tenenda esse quæ definita sunt PER ROMANUM PONTIFICEM; nisi CERTA FIDE tenendum sit, Romanum Pontificem esse infallibilem: ergo verosimile non est, quòd Facultas in suis contra Lutherum Articulis per CATHEDRAM PETRI intellexerit ROMANUM PONTIFICEM.

Accipite argumentum aliud non absimile: ,, Certâ fide tenenda non sunt, nisi quæ credenda ptoponuntur ab authoritate, quæ certâ fide tenenda est infallibilis: atqui auctoritas Romani Pontificis certâ

„ certâ fide tenenda non eſt infallibilis,
„ ſed ſola Auctoritas Eccleſiæ.

Ergo certâ fide tenenda non ſunt, niſi quæ credenda proponuntur ab auctoritate Eccleſiæ.

Porrò CERTA FIDE TENENDA dicit Facultas Theologica Lovanienſis in ſuis contra Lutherum Articulis, *quæ definita ſunt per Cathedram Petri*:

Igitur per *Cathedram Petri* intelligit non Romanum Pontificem, ſed Eccleſiam.

Eccleſia autem, vel abſque Concilio generali per orbem diffuſa eſt, vel in Concilio generali congregata: ideòque dicit Facultas, *certâ fide tenenda eſſe quæ definita ſunt per Cathedram Petri*, vel *per Concilia generalia legitimè congregata*: per *Cathedram Petri* intelligens Eccleſiam toto orbe diffuſam, in quâ tanquam in Cathedra cæteris præſidet Petri Succeſſor Romanus Pontifex: per *Concilium* autem *generale*, Eccleſiam in Concilio generali congregatam.

Hanc aliquando articuli iſtius explicationem didicimus ab uno è Magiſtris veſtris, qui illam à majoribus ſuis hauſerat; ſed dum hodie declarat exemplo majorum ſuorum ſtare ſe pro infallibilitate Romani Pontificis, longè ab ea receſſiſſe videtur.

Utinam ad doctrinam antiquam redeat, & majores ſuos ab anno 1431. uſque ad annum 1544. numquam pro infallibilitate Romani Pontificis ſtetiſſe agnoſcat!

V.

V.

Primævam Facultatis suæ sententiam labefactare cœpit* RUARDUS TAPPERUS : *Qui tamen Romano Pontifici infallibilitatem non tribuit, nisi iis conditionibus, quibus eam evertit.

Primus è Facultate Theologicâ Lovaniensi (quod nobis quidem scire licuit) infallibilitatem Romano Pontifici tribuit RUARDUS TAPPERUS *Oratione tertia contra Philippum Melanchtonem in Apologia Confessionis Augustanæ, de judice Controversiarum in Ecclesia*, ubi primùm ostendit, Romanum Pontificem esse judicem controversiarum fidei legitimum, additque ei *infallibile judicium convenire ratione officii & Cathedræ, in quâ sedet*: sed eas mox conditiones adjicit, ut infallibilitatem, quam tribuit, ipse evertat. Sic enim prosequitur : *Ex quâ tamen* (Cathedrâ) *pronuntiare non debet, nisi adhibito pro qualitate negotii convenienti studio & diligentiâ, Sacerdotalique judicio eorum, qui in Apostolica Cathedra, unà cum ipso Domino ministrant, aut vicinorum etiam & distantium Episcoporum, si quando rei difficultas & perplexitas, aut publica utilitas hoc ipsi præsidi videbitur exigere : sicut & ab initio ad hanc usque diem factum & perpetuò observatum, universi testantur & comprobant Scriptores Ecclesiastici.*

Et paulò post : *Est igitur infallibile Vicarii*

carii Christi in terris Romani Pontificis judicium, in causa fidei & Religionis, quando sincerè veritatem requirit, & consilium adhibet pro qualitate rei, super qua veritas requiritur. Si autem leviter aut præcipitanter, vel non amore veritatis inveniendæ, sed ex affectu potiùs aut odio eum procedere contingeret IN DAMNANDIS ERRORIBUS, FALLI ET FALLERE POSSET*: nisi in gratiam & salutem sponsæ suæ, judicii pronuntiationem Christus pronuntiaret. Supponunt enim Evangelicæ promissiones, Cathedræ Petri factæ, diligentem veritatis inquisitionem, nihilque omitti, quod humanitus fieri oportet, ne Deum tentare videatur. Non enim Romanum Pontificem impeccabilem in suis judiciis faciunt prædictæ Christi promissiones.*

Sed quid, *si contingeret Romanum Pontificem perperam procedere?* Respondet Tapperus: *An Deus eum volentem maledicere prohiberet, sicut impedivit Baalam Prophetam, an potius retractari faceret ejus judicium, sicut consilium à Nathan Propheta datum Regi David, certum non est: quamvis verosimilius sit, quòd in gratiam Ecclesiæ suæ Sponsæ, nè vel ad tempus sit in errore, non sineret sententiam hujusmodi pronunciari.*

Non aliter quàm istis conditionibus, Romano Pontifici infallibilitatem tribuere, negare est: ut (nostro quidem judicio) rectè *Cunerus Petri*, cujus verba subnectimus.

VI.

VI.

Infallibilitatem Romano Pontifici, nullis conditionibus adjectis, tribuit CUNERUS PETRI *circa Annum* 1580.

Scripsit is opusculum DE FIRMITATE CATHEDRÆ PETRI, ubi probare nititur hanc propositionem: *Promissio facta beato Petro non patitur, ut Pontifex Romanus in fidei & morum negotiis ex officio & authoritate capitis agens, definiat aliquid, quod cum veritate vel fide pugnet.*

Deinde *Ruardi Tapperi* opinionem refellens: alii, inquit, imaginantur Pontificem, *quando legitimè materiam discutit & ordinatè pro rei difficultate procedit, adhibitis in consilium qui pro Ecclesiæ consuetudine solent in his adhiberi, tunc demum non posse in definiendo aberrare. Quæ speculationes neque cum verbis & promissiis Christi, neque cum obedientia & fide, quæ secundùm Ecclesiæ traditionem debetur Pontifici, conveniunt. Etenim qui dixit, Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, quid aliud significare voluit, quàm quòd fides ejus numquam deficeret, siquidem manifestum est, ejusmodi negatione totum id quod futurum est temporis comprehendi, sicut & quando dixit, Portas inferi Ecclesiæ non prævalituras, procul dubio id significare voluit, quòd numquam prævalerent: sicut id nequaquam patitur petræ natura (undè hanc firmitudinem habet Ecclesia) ut aliquando moveri*

veri possit: cumque unus Pontifex non majoris honoris & auctoritatis est populo Christiano quàm alius, neque subditorum est discutere quo nam modo sui superiores procedant, nulla est Christi fidelibus (qui solam intuentur auctoritatem) ratio, cur uni potius uno tempore credant & obediant, quàm aliis. Ad quem modum nulla ovibus Christi certitudo relinquitur, quòd in subortis quæstionibus sequi debeant: quando etiam de generalibus Conciliis humana posset temeritas aliquando suspicari aut timere, nè non legitimè & sufficienter essent omnia discussa: atque semel admissâ hâc mutabilitate, & datâ judicandi licentiâ, neutiquam per firmitudinem Petræ prospectum erit Ecclesiæ; ne sicut parvuli variis doctrinæ ventis circumferantur.

VII.

Non omnes Facultatis Theologicæ Lovaniensis Magistri pro Romani Pontificis infallibilitate stabant anno 1685.

Contingit anno 1685. ut consuleretur Facultas S. Theologiæ Lovaniensis, & juberetur ab illustrissimo Domino Internuntio Bruxellensi judicium suum promere circa quatuor propositiones, inter quas prima erat: CONCILIUM EST SUPRA PAPAM. Habitis autem variis congregatoinibus pro formando suo judicio, ita respondit 3. Novembris ejusdem anni.

CENSURA. Ad 1. *Non videtur Censurâ, saltem gravi, digna, attento, quòd diversi Catholici eam doceant: interim in Schola*

Schola nostra numquam nisi oppositum sustinuimus. &c.

Censuræ subscriptum erat in hunc modum: *Ita respondit prædicta Facultas, seu,* MAJOR PARS EJUS 3. *Novemb.* 1685. *& in horum fidem jussimus hanc per bedellum nostrum subsignari & sigillo nostro muniri signatum de mandato præfatæ Facultatis*, JUDOCUS DE PAPE *Bedellus S. Facultatis.*

Patet ex ipsâ subscriptione, alios tunc Sacræ Facultatis Magistros ab aliis dissensisse, & qui in censuram non consentiebant, nequaquam passos esse, ut subscriberetur simpliciter in hunc modum: *Ita respondit prædicta Facultas*: sed additum voluisse, SEU MAJOR EJUS PARS, quò manifestum esset omnibus, esse tunc in Facultate Theologica Lovaniensi, qui Concilium supra Papam esse censerent, in iis scilicet quæ ad fidem & mores pertinent, adeóque in fide & moribus errare posse Papam, ejusque judicium à Concilio reformari.

Rem tam recentem ignorare non debuerant Magistri Vestri, nec dicere tam confidenter: *Omnibus Litteratis notum esse vel esse debere, quòd Facultas... exemplo Majorum suorum semper ac constanter steterit, & hodiedum stet pro Romani Pontificis..., infallibilitate.*

Dum interim ex ipsa Facultatis subscriptione veluti momento insigni, notum semper erit omnibus, quòd anno 1685. pro ea non steterit Facultas, sed tantùm MAJOR EJUS PARS.

Non minus illustre monumentum est Epistola

piſtola, quam circa idem tempus dedit Facultas Theologica ad ſummum Pontificem. Cùm enim vehementer urgeretur, ut ſuam de infallibilitate ſententiam declararet, in hunc ſenſum reſpondit: " Se à Majori-
„ bus ſuis tanquam hæreditarium accepiſſe,
„ infallibile eſſe Cathedratica Romanæ ſe-
„ dis judicia: verùm non inter omnes
„ convenire, quid debeat per Romanam
„ Cathedram intelligi: alios intelligere Ro-
„ manam Cathedram univerſalem; alios,
„ Patriarchalem; Metropolitanam alios;
„ alios Diœceſanam: ſe non accipere eam
„ tam crudè. „

Quo reſponſo non obſcurè ſignificabat Facultas, ſe pro infallibilitate Romani Pontificis non ſtare. Habent Magiſtri Veſtri in ipſa Facultate, à quo Epiſtolæ illius hiſtoriam penitiùs addiſcant.

VIII.

Anno 1683. *à locis quatuor, in Facultate Theologicâ ſtrictiore vacantibus, excluſi fuere, viâ facti Doctores quinque, qui pro infallibilitate non ſtabant.*

Cùm jam pridem intellexiſſet Romana Curia, eſſe Lovanii Doctores plures Theologos, qui pro infallibilitate non ſtabant; ſatiſque animadverteret, hos præ cæteris ad Facultatem Theologicam ſtrictiorem eligendos, dum in ea locum vacare contingeret: variis artibus effecerunt Curiæ Miniſtri, ut diu prohiberetur novorum Magiſtrorum electio, donec tandem anno

1683.

1683. Facultate ſtrictiore ad quatuor Magiſtros redacta, videbatur ea diutiùs differri non poſſe. Vacabant loca quatuor, ad quorum unum pro more aſſumendus erat Doctor Theologus Religioſus ex Ordine S. Auguſtini; ad tria reliqua, tres Doctores Theologi ſæculares ex Facultate Theologica latiore. Erant illi tunc omninò octo; & hos inter erant quinque, qui pro infallibilitate non ſtabant, HUYGENIUS, LACMANNUS, STEYARTIUS, PASMANNUS, HENNEBELLUS. Ne quis autem horum poſſet eligi, Aulæ Bruxellenſi ſignificavit Illuſtriſſimus Inter-Nuntius, mandatum ſibi ex urbe, ut curaret eos excludi. Nec mora utriuſque veluti poteſtatis juſſu excluduntur, adlectis in Facultatem tribus reliquis, qui infallibilitatem profitebantur. Et tamen nec ſic niſi *major Facultatis pars* pro infallibilitate ſtabat anno 1685. ut teſtis eſt ipſa Facultatis, de quâ paulò antè, ſubſcriptio.

Non diu excluſum ſe tulit Stejartius, ut ipſe narrat in Theſibus, quas vocat *Poſitiones ulteriores de Pontifice ejuſque Auctoritate*, editis anno 1687. ubi Poſitione XIII. ſic habet: *Excluſus ego eram cum cæteris... à Facultate Theologica.... Tuli hanc injuriam: nec ultus ſum quidem, ubi cum applauſu potuiſſem. Non tuli, cùm porrò diſſeminari cœptum, excluſum me ob doctrinam erroneam vel ſuſpectam. Imploravi opem Illuſtriſſimi Internuntii.... Obteſtatus ſum per eum, etiam Romæ, uti mihi indicaretur talis mea doctrina.... Quid multa? Obtinui, ut quædam indicaretur. Diſpuli:* PROFESSUS SUM

DOCTRINAM CLAM, QUAM PALAM PROFITEOR. . . . . *Quæſitum eſt, an ergo cuperem locum, à quo me excluſum querebar. Dixi. . . . . paratum me fore eundem ſuſcipere. . . . . Ultrò mihi parata ſunt ea, quæ nec ambieram, nec oblata rejicere tunc debebam: nec mihi pudendum aut pœnitendum eſt, ita perfregiſſe accuſationes, quas apud Regem & Pontificem patiebar, ut per hos ipſos. . . . . obtinuerim, quod negatum erat.*

An eâdem viâ locum ſibi in Facultate ſtrictiore paraverit Hennebellus, poſtquam ab ea pluſquam per annos viginti excluſus fuerat, neſcimus. Hoc conſtare videtur ex *Declaratione*, quòd hodie cum aliis Facultatis Magiſtris infallibilitatem profiteatur: quanquam capere non poſſimus, quâ ratione cum aliis dicat, *Omnibus Litteratis notum eſſe, vel eſſe debere, quòd Facultas exemplo Majorum ſuorum ſemper ac conſtanter ſteterit pro Romani Pontificis infallibilitate*, qui ſciat eam aliquando contra infallibilitatem ſtetiſſe.

§. II.

Oſtenditur, quòd malè ratiocinetur Facultas, dum infert notum eſſe omnibus, recipi ab illa Conſtitutionem Unigenitus *ex eo quòd omnibus notum ſit, ſtare eam pro infallibilitate Romani Pontificis.*

Jam ſatis demonſtratum eſt verum non eſſe quod aſſerit DECLARATIO, *Omnibus Litteratis notum eſſe, vel eſſe debere,*

quod Facultas Theologica Lovaniensis semper steterit pro Romani Pontificis infallibilitate. At damus paulisper id verum esse; nequaquam tamen indè consequens est, quod infert, omnibus litteratis notum esse, vel esse debere, quòd Facultas Constitutiones omnes Apostolicas, adeóque & Constitutionem *Unigenitus* receperit. Id quod nunc demonstrandum est.

I.

Ex eo, quòd Facultas stet pro infallibilitate, non sequitur quòd recipere debeat Constitutiones quoad facta, quæ in iis asseruntur.

Quantumvis hodie pro infallibilitate stent Magistri Vestri, non eò tamen insaniunt, ut existiment Romanum Pontificem nè errare quidem posse in *factis*: " Nam in his Orat. Theol. 3.
„ quæ facti sunt, inquit Tapperus, &
„ aliorum requirunt testimonia, ipsi Pon-
„ tifices in sacris Canonibus confitentur se
„ falli & fallere plerumque.

Et Driedo: " De omnibus, inquit, De Libert. Christi L. 2. c. 2.
„ literis & mandatis Papæ præsumendum
„ quidem est, quòd eis oporteat obedire,
„ modò constet aut constare debeat tales re-
„ verà esse Litteras à sede Apostolica ema-
„ natas, subsistentibus etiam rationibus &
„ causis, quibus ipse Papa verisimiliter mo-
„ tus, inductus est ad præcipiendum: sed
„ ideò non debet ista præsumtio tam vio-
„ lenta esse, ut non liceat hujuscemodi
„ mandata, etiam verissimè emanata à san-
„ cta sede Apostolica, examinare, & in-

„ vestigare sollicitè, an eis oporteat obe-
„ dire, tametsi hoc maximè pertineat ad
„ Judices Ecclesiasticos, quibus hujusce-
„ modi litteræ mandatorum Apostolicorum
„ diriguntur, ut patet ex Capitulo, *si*
„ *quando*, *de Rescriptis*, ubi Papa Ale-
„ xander tertius: *Patienter*, inquit, *su-*
„ *stinebimus*, *si non feceris quod pravâ no-*
„ *bis suggestione fuerat insinuatum.* „

Hàc majorum suorum doctrinâ imbuta olim Facultas Theologica Lovaniensis, recipiendam non putavit Constitutionem Urbani VIII. *In Eminenti*, anno 1641. pridiè nonas Martii adversus Librum Jansenii editam; sed exhibendam credidit summo Pontifici subreptionem. Deputati sunt in urbem ab Academia Lovaniensi eximius SINNICHIUS S. Theol. & clarissimus PAPIUS, J. U. Doctor, quorum ille non multò post suum ex Urbe reditum anno 1647. die 22. Februarii coram Notario & testibus *affirmavit*, & *mediante juramento asseveravit*, *se die vigesimâ octavâ Aprilis millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti*, *auditum fuisse personaliter* & *verbaliter cum prænominato Clarissimo D. Papio à tribus Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus Spada*, *Pamphilio*, & *Falconerio*, *assistentibus præfato Prælato Albisio* & *Abbate S. Crucis in Hierusalem*, *nomine Hilarione*, *ibique inter alia multa dixisse*, *se paratum esse sub beneplacito Sanctissimi D. Papæ* & *Eminentiarum suarum ostendere*: *imprimis omnia puncta doctrinæ de gratia* & *libero arbitrio inter Jansenium* & *ipsius æmulos modò controversa*, *coincidere cum punctis olim inter Augustinum ejusque æmulos*

con-

controversis: secundò argumenta quibus Jansenii doctrina modò ab æmulis impetitur, coincidere cum argumentis quibus Pelagiani, & eorum asseclæ olim in Augustini doctrinam arietarunt: Tertiò, calumnias quas modò ab æmulis Jansenius patitur, coincidere cum iis quas olim in vita & post obitum passus fuerat Augustinus: Paratum præterea se esse ad comburendum publicè in Campo Floræ librum Jansenii in eventum quo in prædictorum probatione defecerit. Addidit postremò idem D. Comparens, & sub juramento similiter asseveravit, se hæc eadem in substantia repetiisse coram sanctissimo D. nostro Innocentio X. ad Pontificatum jam evecto, idque die quintâ Novembris ejusdem anni millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti, in prima audientia ab eodem obtenta in porticu Palatii Vaticani, ubi cum ipso ultra mediam horam deambulans circa horam tertiam pomeridianam, prolixè super præmissis disseruit.

Non ergo valebat tunc apud Facultatem Theologicam Lovaniensem hæc consequentia: *Facultas stat pro Romani Pontificis infallibilitate; proindè Constitutiones Apostolicas recipit.*

Nihilò magis apud illum valuit anno 1656. quo edita est Constitutio *Ad Sacram.* ubi *definit* & *declarat* Alexander VII. *quinque propositiones ex Libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est* AUGUSTINUS, *excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse.* Nam etsi tunc pro infallibilitate staret Theologica Facultas; non recepit tamen Constitutionem istam quoad factum Jansenii: idque manifestè significavit, dum

Academicis, ad gradum aliquem promovendis, non aliud præscripsit, quàm: *Jurabis te quinque Articulos per Constitutiones summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. damnatos damnare, iisdemque Constitutionibus Religiosam observantiam præstare:* Quo juramento damnabantur quinque propositiones ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatæ; sed nequaquam asserebatur Factum Jansenii, seu propositiones illas ex Libro Jansenii excerptas, ac in sensu ab eo intento damnatas fuisse.

Nondum valebat apud Facultatem Theologicam ista consequentia circa annum 1697. Cùm enim Academici quidam Lovanienses ab Innocentio XII. flagitarent, ut antiquam istam jurandi formulam abrogaret & pro ea in Academiam introduceret subscriptionem Alexandri VII., sic illorum consilia Sacræ Congregationi in urbe detexit, ac elidit Doctor Hennebellus Academiæ Lovaniensis Deputatus: „ Eo tantùm consilio, inquit, subscriptionem Formularii in Academiam Lovaniensem introduci flagitant, ut imperitis fucum faciant, ac proclamare valeant, antiquam Facultatis Theologicæ formulam. . . . sedis Apostolicæ auctoritate ideò esse abrogatam, quod in iis, quæ ad quæstionem facti spectant, obvium Formularii sensum minus exprimant, hoc est, ut ipsi contendunt, quòd non exprimat illum ipsum sensum, quem Archi-Episcopus Mechliniensis in suis *Additionibus* expressit. „

In *Additionibus* autem asserebatur Fa-

ctum Jansenii, quod & in sua Constitutione, *Ad Sacram*, asseruerat Alexander VII. & tamen factum istud ab Academia Lovaniensi, cujus nomine tanquam Deputatus loquebatur, non recipi haud sanè obscurè declarabat.

Mirandum itaque vehementer, Constitutionem *Unigenitus omnes & singuli* hodiè Facultatis Theologicæ Magistri *amplexi* sint *purè*, *simpliciter*, *sine hæsitatione*, *sine exceptione*, *sine explicatione*; idque hoc uno, ut significant, fundamento, quòd stent pro infallibilitate Romani Pontificis: sunt enim in Constitutione *Unigenitus*, facta quàm plurima, in quibus Romanum Pontificem falli & fallere posse, ipsi agnoscunt adeóque videre debuerant pessimè ratiocinari se sua *Declaratione* in hunc modum: "Notum est, quòd Facultas nostra stet pro Romani Pontificis infallibilitate; proindè notum est, quòd omnes Constitutiones Apostolicas, atque inter cæteras Constitutionem UNIGENITUS, recipiat. Et pejus in hunc modum: Stat Facultas nostra pro Romani Pontificis infallibilitate; proindè Constitutionem UNIGENITUS, *purè*, *simpliciter*, *sine hæsitatione*, SINE EXCEPTIONE, *sine explicatione* amplectimur. Qui enim dicit se Constitutionem amplecti *sine exceptione*, tam eam amplectitur quoad facta, quæ in ea asseruntur, quàm quoad doctrinam, quæ in ea damnatur.

Quàm autem horrenda sint facta, quæ in ea asseruntur, satis Capite secundo ostensum est.

II.

Ex eo quòd Facultas ſtet pro infallibilitate, non ſequitur quòd recipere debeat Conſtitutiones quoad quævis mandata, quæ in iis continentur.

Docet hoc DRIEDO mox ſupra n. 1. citatus, neque hic iterum citandus. Driedonem ſequitur Auctor *Tractatus de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*; etſi non minùs ſtet pro infallibilitate & prærogativis Romani Pontificis, quàm Facultas Theologica Lovanienſis, eoque nomine magnam Romæ laudem conſecutus ſit. Is Libro 2. cap. 3. ſic habet: " Lumen illud Sancti „ Spiritus, quod Summo Pontifici adeſt, „ cùm explicanda ſunt fidei Myſteria, & „ tradenda morum præcepta, non perpe„ tuò illi hypocritarum fraudes, aulico„ rum adulationes, improborum menda„ cia detegit, non adverſus ambitioſorum „ importunitatem, Magnatum preces, „ ſuſpecta Officialium conſilia, immotum „ ſervat. Quid ſi, quod tamen ſine gravi „ fundamento ſuſpicari nefas eſt, ſummus „ Pontifex aliquo ulciſcendæ injuriæ, con„ gregandarum divitiarum, augendæ fami„ liæ, aliove pravo affectu impelleretur „ ad præcipiendum aliquid SUÆ POTES„ TATIS LIMITES TRANSCEN„ DENS, AUT JUSTITIÆ REPU„ GNANS? Nec enim altitudo & ſancti„ tas ſolii ſanctum facit, & à peccato ſe„ curum. Num, ſi quid hujuſmodi con„ tingeret, AB EXEQUENDO MANDA-

„ TO-

„ TO NON LICERET ABSTINERE?
„ Quod autem in mandatis singularibus,
„ etiam in communibus legibus liceret;
„ quamvis longè difficilius legibus desit ju-
„ stitia, quàm præceptis particularibus.

„ Possunt igitur, dissimulantibus etiam
„ summis Pontificibus, expendi novæ le-
„ ges, antequam recipiantur.

Si autem expendi possint novæ leges, antequam recipiantur; multò magis mandata particularia. Atque hanc " summis
„ Pontificibus mentem tribuere convenit,
„ ait Auctor jam citatus ibidem n. 12.
„ QUOTIESCUMQUE INJUSTUM
„ ALIQUID IN LEGE AUT PRÆCEP-
„ TO CONTINETUR. Alexander III.
„ Cap. *Si quando* de Rescrip. eam his ver-
„ bis prodit: *Patienter sustinebimus si non*
„ *feceris, quod nobis fuerit pravâ insinua-*
„ *tione suggestum.* Eam etiam indicat cap.
„ *Cùm teneamur*, de Præbend. „

Jam verò quis justum esse credat Mandatum, quod Constitutio *Unigenitus* præscribit his verbis: *Mandantes omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, nè de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac eadem nostra Constitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes à Jure statutis pœnis, ipso facto, absque alia declaratione, subjaceat?*

Equidem si *de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter* non liceat,

quàm in Constitutione continetur; nihil licebit aliter de dictis propositionibus *sentire*, *docere*, *prædicare*, quàm *omnes & singulas tanquam falsas*, *captiosas*, *malè sonantes*, *piarum aurium offensivas*, *scandalosas*, *perniciosas*, *temerarias*, *Ecclesiæ & ejus praxi injuriosas*, *neque in Ecclesiam solùm*, *sed etiam in Potestates sæculi contumeliosas*, *seditiosas*, *impias*, *blasphemas*, *suspectas de hæresi*, *ac hæresim ipsam sapientes*, *nec non hæresibus*, *ac etiam schismati faventes*, *erroneas*, *hæresi proximas*, *pluries damnatas*, *ac demum etiam hæreticas*, *variasque hæreses*, & *potissimum illas*, *quæ famosis Jansenii propositionibus*, & *quidem in eo sensu*, *in quo hæ damnatæ fuerunt*, *acceptis*, *continentur*, *manifestè innovantes*, RESPECTIVE *damnatas esse*.

Si quis verò interroget, quænam damnatæ sint, *tamquam falsæ*, *quænam tamquam captiosæ*, *quænam tanquam malesonantes* &c. nihil respondere licebit aliter, quàm, *omnes & singulas tanquam falsas*, *captiosas*, *malè sonantes &c.* RESPECTIVE damnatas esse.

Si dicat, isto se responso nihilo doctiorem esse, & aliud responsum postulet; reponere non licebit aliud, quàm aliter respondere licitum non esse: cùm mandetur *omnibus utriusque sexus Christi fidelibus*, *ne de dictis propositionibus*, *sentire*, *docere*, *prædicare aliter præsumant*, *quàm in Constitutione continetur*, in Constitutione autem non contineri aliud.

Si sensum petat, quo *omnes & singulæ tanquam falsæ*, *captiosæ*, *malè sonantes* &c. damnatæ sunt? Respondere non licebit aliter

liter, quàm vetitum esse de propositionibus illis SENTIRE aliter, quàm in Constitutione continetur: sensum autem, quo *omnes & singulæ tanquam falsæ, captiosæ, malè sonantes* &c. damnantur, non contineri in Constitutione: proindè etiam vetitum esse sensum aliquem, quo damnatæ sint, designare.

Quid porrò de iis, *qui publicè aut privatim de propositionibus istis tractant, etiam disputativè?*

R. Tractare de illis, etiam disputativè, non licet, *ni forsitan impugnando*: alioquin, ut ait Constitutio, *Ecclesiasticis Censuris ipso facto, absque alia Declaratione, subjaceant.*

Tractare ergo de illis licet *disputativè*, eas saltem *impugnando?*

R. Licet: sed aliud eas impugnando dicere non licebit, quàm *omnes & singulas, tanquam falsas, captiosas, malè sonantes* &c. *respectivè damnatas esse*: non aliter enim in *Constitutione* continetur.

At ridiculum est dicere, *omnes & singulas tanquam falsas, captiosas, malèsonantes &c. respectivè damnatas esse*, si *omnium & singularum sensum tanquam falsum, captiosum, malè sonantem &c. respectivè damnatum* non designes?

R. Viderint hoc, qui de propositionibus istis tractant, eas impugnando. Nobis manifestum est, quòd juxta Constitutionem *qui de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumunt, quàm in Constitutione continetur, Ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes à jure sta-*

statutis pœnis, *ipso facto*, *absque alia declaratione*, *subjaceant.*

Proindè, quòd Censuris istis & pœnis subjaceant etiam illi, qui etsi de propositionibus non tractent nisi disputativè, & non nisi eas impugnando, præsumunt tamen aliquem illarum sensum *tanquam falsum*, *captiosum*, *malesonantem &c. respectivè damnatum* designare: siquidem *de dictis propositionibus sentire*, *docere*, *prædicare aliter præsumunt*, *quàm in Constitutione continetur.*

Imprimis verò Censuris istis & pœnis subjacent Magistri Vestri, qui dum in Schola academica de propositionibus istis quotidiè disputant eas impugnando, non sine labore ac studio invenire conantur sensus varios, quibus eas damnatas esse contendunt: cùmque hi sensus non contineantur in Constitutione, aliter sanè de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare præsumunt, quàm in Constitutione continetur.

Videte, quò sua ipsos ducat infallibilitas. Stant pro infallibilitate Romani Pontificis: indè inferunt, debere se omnes Constitutiones Apostolicas recipere: eodem filo ducti amplectuntur Constitutionem UNIGENITUS, PURÈ, SIMPLICITER, SINE HÆSITATIONE, SINE EXCEPTIONE, SINE EXPLICATIONE; adeóque etiam quoad *facta & mandata*, quæ istâ Constitutione continentur: nil inter facta vera & falsa, nil inter mandata justa & injusta discernunt: amplectuntur omnia SINE EXCEPTIONE: amplectendo facta, reos se & participes faciùnt calumniarum enormium: amplectendo,

do mandata, Ecclesiasticis censuris & pœnis seipsos innectunt. Et quomodo his omnibus sese expedient?

III.

Ex eo quod Facultas exemplo Majorum suorum stet pro infallibilitate Romani Pontificis, non sequitur quòd recipere debeat omnes Constitutiones Apostolicas, etiam quoad ea quæ spectant ad fidem.

Inter Majores suos numerant Magistri Vestri TAPPERUM & Driedonem. TAPPERUS autem, ut supra hoc capite §. 1. n. 5. ostensum est, infallibilitatem Romano Pontifici non tribuit, etiam *in causa fidei & religionis*, nisi *quando sincerè veritatem requirit, & consilium adhibet pro qualitate rei, super quâ veritas requiritur. Si autem leviter aut præcipitanter, vel non amore veritatis inveniendæ, sed ex affectu potiùs aut odio eum procedere contingeret in damnandis erroribus, falli & fallere posset.* Orat. 3. Theol.

Non ergo valet consequentia: " Facultas, exemplo Majorum suorum, stat „ pro infallibilitate Romani Pontificis: „ ergo recipere debet omnes Constitutio- „ nes Apostolicas, saltem quoad ea quæ „ spectant ad fidem. „ Nam etiam in his *falli & fallere*, juxta Tapperum, potest Pontifex, *quando sincerè veritatem non requirit, nec consilium adhibet pro qualitate rei, super qua veritas requiritur; sed levi-*

ter aut præcipitanter, vel non amore veritatis inveniendæ, sed ex affectu potiùs aut odio eum procedere contingeret in damnandis erroribus.

De Libert. Christ. Lib. 2. c.

Consequentiam disertè negat DRIEDO. „ Sententia Papæ, inquit, circa fidem tantâ consilii moderatione concipi debet, „ tantâque maturitate patientiæ decoqui „ & tantâ deliberationis gravitate proferri, „ ut omninò recta sit credenda : verùm „ quia Papa, quatenus homo, talem mo„ dum deliberationis circa ea quæ sunt fi„ dei potest omittere, & inniti proprio sen„ sui propriæque prudentiæ, IDCIRCO ETIAM PLERUMQUE LICERET EXAMINARE LITTERAS MANDATORUM PAPÆ, DEFINIENTIS ALIQUID CREDENDUM ESSE AUT FIDE TENENDUM.

Glorientur nunc Magistri Vestri, se Majorum suorum exemplo stare pro infallibilitate Romani Pontificis : gloriari certè non possunt, se Majorum suorum exemplo ratiocinari.

Nam priusquam ex infallibilitate concluderent Constitutionem *purè ac simpliciter* recipiendam esse, constare debebat juxta Tapperum, quòd *Romanus Pontifex sincerè veritatem requisivisset*, quòd *consilium adhibuisset pro qualitate rei*; quòd *non leviter aut præcipitanter*, quòd *amore veritatis inveniendæ*, quòd *non ex affectu aut odio processisset*: Et juxta Driedonem, quòd *Papa sententiam circa fidem tantâ consilii moderatione concepisset, tantâque maturitate patientiæ decoxisset, & tantâ deliberationis gravitate protulisset, ut omninò recta fuerit cre-*

credenda; quòd *talem modum deliberationis non omisisset*; quòd *non fuisset innixus proprio sensui propriæque prudentiæ.*

Hæccine omnia constabant Magistris vestris, dum Constitutionem *purè*, *simpliciter*, *sine exceptione*, *sine hæsitatione*, *sine explicatione* recipiebant?

Si Majoribus suis non credant, audiant Bellarminum: " Etsi, inquit, in Pontifice sit infallibilitas, tamen non debet ipse contemnere media humana, quibus deveniri potest ad veram Dei cognitionem, de qua agitur: medium autem ordinarium est Concilium majus, aut minus, pro magnitudine vel parvitate rei de qua agitur. Id quod patet primò exemplo Apostolorum. " De Rom. Pont. lib. 4. c. 7.

Agebatur hìc de summâ totius Religionis Catholicæ, & doctrinæ Christianæ. Quantum ergo, juxta Bellarminum, convocandum erat Concilium! sed fuitne convocatum vel minimum?

IV.

Dum Facultas ex eo, quòd stet pro infallibilitate Romani Pontificis, progreditur ad recipiendas omnes Constitutiones Apostolicas, saltem quoad ea quæ ad fidem pertinent, Probabilistas sequitur, qui ex eo, quod stent pro Probabilitate, procedunt ad agendum secundùm opinionem probabilem.

Neminem esse arbitramur inter Facultatis Theologicæ Lovaniensis Magistros, qui non improbet hanc Probabilistarum arguta-

gutationem : " Stamus pro probabilitate,
„ tanquam quæ sit tuta actionum humana-
„ rum regula : Ergo dum agimus secun-
„ dùm probabilitatem , licitè agimus. „

Et tamen argutationi isti simillima est eorumdem Magistrorum ratiocinatio in hunc modum : " Stamus pro infallibilitate Ro-
„ mani Pontificis : Ergo Constitutiones
„ omnes Apostolicas , in iis saltem quæ
„ sunt fidei , licitè recipimus. „

Utriusque argumenti vitium est : quòd in antecedente supponatur certum simpliciter, quod simpliciter certum non est. Nam in priori argumento supponitur , ut simpliciter certum , quòd tuta actionum humanarum regula sit Probabilitas : in altero autem , ut simpliciter certum , quòd Pontifex in rebus fidei definiendis sit infallibilis. Id verò nisi utrobique supponatur , planè ruit tum prioris tum posterioris argumenti consequentia. Sic enim ratiocinari debent Probabilistæ , si ratiocinari velint legitimè : Stamus pro Probabilitate , tanquam quæ sit tuta actionum humanarum regula : Atqui simpliciter certum est , quòd tuta Actionum humanarum regula sit probabilitas : ergo secundùm probabilitatem licitè agimus. Sic verò ratiocinari debent Facultatis Theologicæ Magistri : " Sta-
„ mus pro infallibilitate Romani Pontificis
„ in definiendis iis quæ sunt fidei : Atqui
„ simpliciter certum est , Romanum Pon-
„ tificem in definiendis iis quæ sunt fi-
„ dei , esse infallibilem : ergo Consti-
„ tutiones omnes Apostolicas , saltem quo-
„ ad ea quæ definit Pontifex tanquam fi-
„ dei , licitè recipimus. „ Ubi si in utro-

que

que argumento tollatur subsumptum, & nè tacitè quidem supponatur; consequentiam omnem, quæ tota subsumpto innititur, collabi necesse est.

At, inquient Magistri vestri, hoc nos inter & Probabilistas discrimen est, quòd ipsorum de probabilitate doctrina falsa sit; nostra autem sit vera.

R. Falsam esse Probabilistarum de probabilitate doctrinam, fatemur: at simpliciter certum esse, quòd ipsorum de infallibilitate doctrina vera sit, prorsus negamus. Quamdiu autem hoc simpliciter certum non est; subsistit quæ ratiocinationem Probabilistarum inter & ratiocinationem ipsorum allegata est paritas.

Sed nostra, inquient, doctrina nobis certa est, nec dubitamus quin sit revelata.

R. Idem fortè de doctrina sua dicent Probabilistæ: neque tamen propterea certa est simpliciter. Dicet v. g. Probabilista Attritionarius, non dubitare se, quin sua de attritione doctrina definita sit in Concilio Tridentino: & tamen non absolvet licitè pœnitentem, qui solam istam attritionem habet. Sic etsi non dubitarent Magistri Vestri, quin revelata ac definita sit doctrina de infallibilitate Romani Pontificis; non tamen propterea licitè amplectentur Constitutiones Pontificias, in iis quæ ad fidem pertinent, quamdiu doctrina ista non est certa simpliciter. Non ideo autem est certa simpliciter, quòd eam ut certam simpliciter, revelatam, ac definitam, certò habeant eximii hodiè Facultatis Theologicæ Lovaniensis Magistri.

§ III.

§. III.

Ostenditur, quòd doctrina de infallibilitate Romani Pontificis, neque in sacris Litteris, neque in SS. Patribus, neque in Conciliis, neque in autoritate alia, neque in ratione, neque in experientia fundata sit.

Nostri instituti non est, neque nobis vacat Librum aut Tractatum scribere de infallibilitate Romani Pontificis, quod iis relinquimus, qui fortè adhuc in Academia Lovaniensi supersunt antiquæ Facultatis Theologicæ discipuli: nobis satis erit, ex sacris Litteris, SS. Patribus, Conciliis, Theologis, Canonistis, ratione, experientiâ, pauca delibasse, quibus constet, nullo fundamento firmo pro infallibilitate stare Facultatis Recentioris Magistros.

I.

Quid de infallibilitate doceant Sacræ Litteræ?

Infallibilitatem apertè & constanter Sacræ Litteræ tribuunt Ecclesiæ, non autem Pontifici.

Math. 16. *Ego dico tibi*, inquit Christus, *quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Adversùs eam*, dicit, hoc est, *Ecclesiam*, non autem dicit, *adversùs te:* Proindè non Petro, sed Ecclesiæ, Christus infallibilitatem promittit.

Ean-

Eandem Ecclesiæ, non Pontifici, tribuit Matt. 18. ubi fratrem peccantem tanquam Ethnicum & Publicanum habendum esse decernit; non cùm summum Pontificem non audierit, sed cùm non audierit Ecclesiam: *Dic*, inquit, *Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* A quo judicio nè ipsum quidem Pontificem excipit, si peccaverit (sive in fide sive in moribus) & Ecclesiam non audierit.

Eandem Ecclesiæ, non Pontifici, promittit Matt. 28. ubi se usque ad consummationem sæculi futurum spondet, non seorsim cum Petro, sed cum Apostolis omnibus, hoc est, cum Ecclesia: *Ecce*, inquit, *ego* VOBISCUM *sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Eandem Ecclesiæ, non Petro, tribuit Apostolus: *Ut scias*, inquit, *quomodo oporteat in Domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi*, COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS. 1. Tim. 3.

Postremò, ortâ Antiochiæ controversiâ de legalibus non ad solum Petrum itum est; *sed statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis*, AD APOSTOLOS ET PRESBYTEROS *in Jerusalem super hac quæstione:* ubi dum quæstio definienda erat, non solus Petrus sumpsit sibi definiendi auctoritatem; sed CONVENERUNT APOSTOLI ET SENIORES *videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquisitio fieret. . . . . placuit* APOSTOLIS ET SENIORIBUS CUM OMNI ECCLESIA *eligere viros ex eis & mittere Antiochiam . . . . . scribentes per manus* Actor. 15.

manus eorum. APOSTOLI ET SENIORES FRATRES *his qui sunt Antiochiæ. . . . . salutem. Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis. . . . Placuit* NOBIS COLLECTIS IN UNUM *eligere viros & mittere ad vos. . . . .* VISUM EST ENIM SPIRITUI SANCTO ET NOBIS, *nihil ultra imponere vobis oneris* &c. Non dicunt, *Visum est Spiritui Sancto*, ET PETRO, *sed*, *Spiritui Sancto* ET NOBIS, *Apostolis* scilicet *& Senioribus cum omni Ecclesia, collectis in unum*: Proindè, non Petro, sed Ecclesiæ tribuunt definiendi auctoritatem.

Habetis è Sacris Litteris loca quinque, quibus infallibilitas manifestè adscribitur, non Pontifici, sed Ecclesiæ: proferant Magistri Vestri vel unum, quo apertè adscribatur Pontifici; si quem proferant, non poterunt inde eruere quidquam, nisi per consequentias, quæ majori facilitate negari possunt, quàm probari.

VI.

Quid de infallibilitate doceant SS. Patres:

S. Cyprianus adeò non credidit infallibilem Stephanum I. Pontificem in damnando errore de rebaptizandis hæreticis, ut erroris etiam illum accusarit. Damnaverat errorem istum Pontifex, intentato anathemate illius defensoribus, sanxeratque, *nihil innovandum, nisi quod traditum est*, ut Cyprianus in Epistola *ad Pompejum*, & Vincentius Lirinensis in *Commonitorio*

cap.

cap 9. teſtantur, ſed neque *Cyprianus* in Africa, neque *Firmilianus* in Cappadocia, neque *Dionyſius Alexandrinus* in Ægypto, auctoritati ac definitioni Romani Pontificis ceſſerunt, contendentes illum erraſſe. Ita Cyprianus Epiſt. 74 ad Pompejum: " Quia, „ inquit, deſideraſti in notitiam tuam per- „ ferri, quid mihi ad litteras noſtras Ste- „ phanus frater noſter reſcripſerit, miſi ti- „ bi Reſcripti ejus exemplar, quo magis „ ac magis ejus ERROREM denotabis, „ QUI HÆRETICORUM CAUSAM „ CONTRA CHRISTIANOS ET CON- „ TRA ECCLESIAM DEI ASSERE- „ RE CONATUR. . . . . Inter cæte- „ ra. . . . . etiam illud adjunxit, ut dice- „ ret : ſi quis ergo à quacumque hæreſi „ venerit ad nos, nihil innovetur, niſi „ quod traditum eſt, ut manus illi impo- „ natur in pœnitentiam.

Idem cum Cypriano ſentiebant Africani Epiſcopi; cum Firmiliano Cappadoces, & cum Dionyſio Alexandro Ægyptii.

Idem fuit ſenſus Eccleſiæ, quæ poſt definitionem Stephani rebaptizantes non habuit pro hæreticis, niſi dum in plenario Concilio definitum fuit, venientes ab hæreſi rebaptizandos non eſſe, ſed manus impoſitione recipiendos.

Habetis itaque hic non unius Cypriani ſed plurium Epiſcoporum & Eccleſiarum contra Romani Pontificis infallibilitatem circa medium ſæculi tertii teſtimonium.

Quòd verò reſponderi ſolet, non exiſtimaſſe Cyprianum, alioſque Epiſcopos, quæſtionem iſtam à Stephano definitam fuiſſe ex Cathedra, nihil ad rem pertinet: nam ſive

ſive id exiſtimaverint, ſive non exiſtimaverint, hoc certè ſignificabant apertiſſimè, nulli ſe definitioni Stephani, qualiſcumque ea foret, unquam ceſſuros.

Idem de Romani Pontificis infallibilitate cum Cypriano, & tot aliis tertii ſæculi Epiſcopis, ſenſit ſæculo quinto Auguſtinus, qui in definienda quæſtione de rebaptizandis hæreticis ſupremum ac infallibile judicium non tribuit Pontifici, ſed Eccleſiæ aut plenario Concilio. Sic enim habet: „ S. Cyprianus oſtendit, facillimè ſe correcturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſi quis „ ei demonſtraret Baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit cùm foras „ exirent. Undè multa jam diximus, „ nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, NISI UNIVERSÆ ECCLESIÆ „ CONCORDISSIMA AUTORITATE „ FIRMATI, cui & ipſe ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per „ PLENARIUM CONCILIUM ſolidaretur. „ Plura in eandem rem vide contra Donatiſt. Lib. 1. cap. 11. & 18. Item Lib. 2. cap. 7. & 15. Quibus ſimilia habet ibidem Lib. 4. c. 6. Lib. 5. cap. 17. Lib. 6. cap. 1. 2. 7. 8. 13. 35. & Lib. 7. c. 1. ut pateat Auguſtinum docuiſſe non ſemel, ſed conſtanter, ſupremum ac infallibile in definiendis quæſtionibus fidei judicium, non à Romano Pontifice, ſed ab Eccleſia aut plenario Concilio expectandum.

Neque tantùm non reprehendit Cyprianum Auguſtinus, quòd auctoritati Stephani non ceſſerit; ſed & affirmat cedere

non

non debuisse, quamdiu tales rationes non afferebantur, quibus vir tantus moveretur: Ib. l. 2. c. 8
„ Quia, inquit, tunc non extiterant, ni-
„ si qui ei consuetudinem (non rebaptizan-
„ di) opponerent; defensiones autem ip-
„ sius consuetudinis non tales afferrent,
„ quibus illa talis anima moveretur: no-
„ luit vir gravissimus rationes suas, etsi
„ non veras (quod eum latebat) SED TA-
„ MEN NON VICTAS, veraci quidem,
„ sed tamen nondum assertæ consuetudini
„ cedere. „ Censebat ergo Augustinus, rationes Cypriani victas non fuisse auctoritate Stephani Pontificis; sed auctoritate Ecclesiæ aut Concilii plenarii vinci debuisse.

Tritum istud, *Causa finita est*, quod unum præcipuè ex Augustino opponi solet, toties contritum fuit; ut jam in pulverem redactum sit, nec à nobis amplius conterendum.

III.

Quid de infallibilitate doceant Concilia?

Concilium esse supra Pontificem, & hunc illi obedire teneri in iis quæ ad fidem pertinent, definivit Synodus Generalis Constantiensis. Nam Sessione 4. *ad consequendum faciliùs, liberiùs, & uberiùs, unionem & reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, disponit, statuit, decernit & declarat ut sequitur.*

Et primò, quòd ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem

tantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, ETIAMSI PAPALIS EXISTAT, OBEDIRE TENETUR IN HIS QUÆ PERTINENT AD FIDEM, *& exstirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.*

Si autem quilibet, *etiam Papa obedire teneatur Concilio generali in his quæ pertinent ad fidem*; potest certè Papa *in his quæ pertinent ad fidem, errare*: Si enim *in his quæ pertinent ad fidem errare non posset*; non teneretur in his quæ pertinent ad fidem, Concilio obedire, sed teneretur Concilium obedire Pontifici.

Hoc Concilii generalis decretum numquam infirmabunt Magistri vestri: uti nec infirmatum fuit hactenus, quamvis variè à variis impetitum.

Alii dixerunt conditum non fuisse cùm deliberatione debita, neque omnibus, quorum intererat, consentientibus.

Alii, Constantiensem synodum, cùm decretum istud condidit, non satis Ecclesiam universalem repræsentasse.

Alii, de solo tempore, quo Papa dubius est, intelligendum esse.

Alii, probatum & confirmatum non fuisse à Martino V. Pontifice.

Alii, postremò, Decretum istud non pervenisse ad nos genuinum, integrum, inviolatum.

Sed vel ipsa cavillationum istarum varietas ostendit, firmo pede non niti eos, qui decretum istud impugnant

Martinus V. Sessione ultimâ professus est,

Quòd

Quod OMNIA ET SINGULA *determinata*, *conclusa*, *&* *decreta* IN MATERIIS FIDEI *per præsens Concilium* CONCILIARITER, *tenere & inviolabiliter observare volebat*, *& numquam contraire quoquo modo. Ipsaque sic* CONCILIARITER *facta approbat & ratificat*, *& non aliter nec alio modo.*

Si approbet & ratificet *omnia & singula in materiis fidei conciliariter facta*, approbat & ratificat etiam Decretum Sessionis 4. quod *ad materiam fidei* spectat, & factum est *conciliariter.*

Spectat ad materiam fidei: quia ad fidem spectat quæstio, An in his quæ pertinent ad fidem, Concilium teneatur obedire Papæ, an Papa Concilio.

Factum est *Conciliariter*: quia non tantùm *Nationaliter*, seu apud nationes singulas, seorsim congregatas, Decretum istud discussum fuerat; sed postquam jam discussum fuerat apud singulas nationes, in ipso etiam Concilio seu *Conciliariter* probatum fuit ac conditum.

Quo ruunt non eorum tantùm conatus, qui dicunt, Decretum istud à Martino V. confirmatum non fuisse. sed & eorum qui dicunt conditum non fuisse cum deliberatione debitâ; vel non consentientibus iis, quorum intererat; vel Concilium tunc, cum conditum fuit, non sufficienter Ecclesiam universalem repræsentasse. Quomodo enim confirmaret Martinus V. Decretum, quod aliquo ex vitiis istis laboraret?

Qui dicunt, de solo tempore, quo Papa dubius est, Decretum intelligi debere,

vel ex eo refelluntur, quod idem Decretum non multò post renovatum & confirmatum fuerit in Concilio Basileensi Sess. 2. eoque tanquam fundamento nixi fuerint Patres Basileenses adversus Eugenium IV. Pontificem indubitatum, volentem Concilium dissolvere: frustrà autem eo nixi fuissent, si non debuisset intelligi, nisi de Pontifice dubio.

Sed neque ipse Eugenius aliter istud, quàm Patres Basileenses, intellexit: nusquam enim Patribus Basileensibus respondit, Decretum istud non valere nisi adversùs Pontificem dubium; se autem, vel ipsis fatentibus, Pontificem esse indubitatum. Hoc tamen respondisset præcipuè, si vel controversia tunc fuisset, an deberet de Pontifice tantùm dubio intelligi.

IV.

Quid de infallibilitate doceant Academiæ, Theologi, Canonistæ?

Academia Parisiensis.

Sensit constanter & sentit etiamnum Academia Parisiensis, & in ea præcipuè Facultas Theologica, quòd anno 1682. innovavit confirmavitque Clerus totus Gallicanus his verbis: *In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque Decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere*; NEC TAMEN IRREFORMABILE ESSE JUDICIUM, NISI ECCLESIÆ CONSENSUS ACCESSERIT.

Academia Coloniensis & Lovaniensis.

Quòd hæ Academiæ contra infallibilitatem Romani Pontificis ſteterint tempore Concilii Baſileenſis, teſtis eſt ipſe Æneas Sylvius, poſtea Pius II. Pontifex, in Comment. de Geſtis Baſil. Conc. Lib. 1. ubi refert, *Venerandæ auctoritatis Amedeum, Lugdunenſem Archi-Epiſcopum, zelo fidei tactum*, fortiter ſtetiſſe adverſus eos, qui non admittebant tres propoſitiones, inter quas prima erat hæc, VERITAS EST CATHOLICÆ FIDEI, SACRUM GENERALE CONCILIUM SUPRA PAPAM ET ALIUM QUEMVIS POTESTATEM HABERE, atque inter alia dixiſſe: *nec nos fugit, Ludovicum Protonotarium has veritates Lovanii ac Coloniæ prædicaſſe, eaſque illinc* UNIVERSALIS STUDII AUCTORITATE FIRMATAS REPORTASSE: eo autem finiente, illicò aſſurgentem reſpondiſſe Ludovicum: VERUM EST, ILLAS ME APPORTASSE VERITATES &c.

Conſtat igitur teſtimonio irrefragabili, quòd tunc contra infallibilitatem Romani Pontificis ſteterint Colonienſis & Lovanienſis Academia.

Quamdiu contra eam perſtiterit Colonienſis, inveſtigare non licuit: perſtitiſſe Lovanienſem pluſquam per ſæculum, demonſtratum eſt ſuprà hoc capite. Facultatem autem Theologicam in utraque illa Academia à primævâ ſuâ doctrinâ defeciſſe hodiè, patet ex declarationibus nuper editis, ubi Facultatis Colonienſis & Lova-

nienfis Magiftri infallibilitatem Romani Pontificis profitentur. Nec id mirum de Lovanienfi, à qua anno 1683. excludi juffi funt Doctores quinque, qui pro infallibilitate non ftabant; nec alii, nifi qui pro ea ftarent, deinceps, ad illam admiffi funt.

Academia Viennenfis

Hæc in opere, quo Electorum Imperii confultationi refpondit, apertè ait declaratum effe per Conftantienfe Concilium Seff. 4. *Quod Concilio Generali quilibet cujuscumque ftatus vel dignitatis*, ETIAMSI PAPALIS EXISTAT, OBEDIRE TENEATUR IN HIS QUÆ PERTINENT AD FIDEM &c.

Academia Cracovienfis.

In Tractatu *de Auctoritate facrorum Conciliorum*, quem anno 1441. dedit ad Uladiflaum Poloniæ & Hungariæ Regem: *Quartò*, inquit, *notatur ex dictis, quòd Chriftus voluit judicium effe majus & fupremum in terris; & huic judicio Ecclefiæ* ETIAM IPSUM PETRUM SEU PAPAM DEBERE ACQUIESCERE &c.

Academia Herfordienfis.

In Tractatu, quem fuper *Unione & Neutralitate Principum* Electorum compofuit, poft allatum Conftantienfe & Bafileenfe Concilium, ita profequitur: *Quæ quidem uni-*

universalis Ecclesiæ declaratio, quamvis sola sufficeret ad probandum summam in terris sacrorum Conciliorum auctoritatem, pro majori tamen istius confirmatione quod dictum est, residuum Ecclesiæ corpus, non computato Papâ si contrarius esset, auctoritatem hanc habere, potest adduci ratio, Experientia, & Autoritas.

Aliæ Academiæ Germaniæ.

„ Aderant (*in Concilio Basileensi*) Le-
„ gati Parisiensis Scholæ, cujus est fama
„ percelebris: affuerunt & aliquando Ve-
„ stri (*Colonienses*) & ALIORUM STU-
„ DIORUM GERMANICÆ NATIONIS
„ Oratores: & UNO CUNCTI ORE
„ Concilii generalis auctoritatem ad Cœ-
„ lum efferebant. . . . . Una omnium
„ vox Concilium Eugenio præferebat. . .
„ Concilium, Concilium, cuncta sona-
„ bant. „ Ita Æneas Sylvius, testis minimè suspectus, in Comment. de Gestis Concilii Basil. Lib. 1.

Omnis Nationis & Ordinis Theologi.

Omnis Nationis & Ordinis Theologos in Concilio Basileensi adversus infallibilitatem Romani Pontificis consensisse, patet ex testimonio Æneæ Sylvii jam citato: UNO CUNCTI ORE *Concilii generalis autoritatem ad cœlum efferebant* &c. undè nec dubitabant Concilii Patres in responsione Synodali datâ Basileæ in congregatione nonas Septembris anno 1532. intrepidè asserere, CERTUM ESSE, *quòd posset Papa*

errare : „ Quia, inquiunt, reliquum to-
„ tum corpus, etiam non computato Pa-
„ pâ, secundùm legem communem erra-
„ re non potest in his, quæ sunt fidei. A-
„ lioquin, si errare posset, CUM CER-
„ TUM SIT PAPAM ERRARE POS-
„ SE, tunc & Papâ & reliquo toto cor-
„ pore errantibus, tota erraret Ecclesia,
„ quod esse non potest. „

Quid? quòd nec ipsi Theologi in Concilio Florentino, etsi starent pro Pontificis supra Concilium superioritate, pro infallibilitate tamen non starent, sed ea in re consentirent Patribus Basileensibus? sic enim habet APOLOGIA EUGENII IV. sive, *De Summi Pontificis & generalis Concilii potestate ad Basileënsium Oratorem, in Florentinâ* SYNODO RESPONSIO, *vivâ voce exhibita* PER JOANNEM A' TURRE CREMATA *Ord. FF. Prædicatorum, tunc Sacri Apostolici Palatii Magistrum, ac postea S. Xixti Presbyterum Cardinalem* : „ Si casus talis contingeret,
„ quòd Patres universi in Synodo univer-
„ sali convenientes unanimiter aliquam fi-
„ dei definitionem facerent, cui sola per-
„ sona Papæ contradiceret; dicendum ju-
„ dico, QUÒD SYNODO STANDUM
„ ESSET, ET NON PERSONÆ PA-
„ PÆ. Judicium enim tantorum Patrum
„ universalis unius Synodi in materia fi-
„ dei meritò præferendum videtur judicio
„ unius hominis: in quo casu optimè ve-
„ nit illa glossa, quæ habetur in Cap. A-
„ nastasius Dist. 19. quòd *ubi de fide a-
„ gitur, Papa tenetur* REQUIRERE CON-
„ SILIUM EPISCOPORUM. . . .

„ Ubi

„ Ubi autem ita eveniret, quòd talibus „ quæ ad fidem pertinere tota Synodus „ per apertiſſima teſtimonia Sacræ Scrip- „ turæ, aut Sanctorum Patrum doctrinam „ unanimiter declararet, Papa acquieſce- „ re, obedire, & ſtare nollet, ſed contu- „ maciter contradiceret, talibus apertè ad „ fidem Catholicam pertinere declaratis, „ JAM UTPOTE HÆRETICUS, SUB- „ JECTUS VENIRET CONCILIO, „ SICUT ET QUILIBET ALIUS À „ FIDE DEVIUS. „ Ubi ſine contro-verſia admittit Joannes à Turre-cremata Eugenii IV. Pontificis Apologus, Pontificem in fide errare poſſe: manere tamen adhuc ſuperiorem Concilio poteſtate juriſ-dictionis, niſi *acquieſcere, obedire, & ſtare nollet; ſed contumaciter contradiceret talibus, quæ ad fidem pertinere tota Synodus unanimiter declararet:* tunc enim *ſubjectus veniret Concilio, ſicut & quilibet alius à fide devius.*

Theologi Galli.

JOANNES GERSON in Tractatu, *Utrùm liceat in cauſis fidei à Pontifice provocare?*

PETRUS DE ALLIACO, Epiſcopus Cameracenſis, Cardinalis, & Doctor Pariſienſis, *Tract.* de Eccleſiæ auctoritate p. 3. cap. 2.

JACOBUS ALMAÏNUS Lib. *de Auctoritate Eccleſiæ cap.* 10.

JOANNES MAJOR, *de Auctoritate Eccleſiæ.*

PHILIPPUS, Abbas S. Dionyſii in

Tractatu *de Sacrorum Canonum Autoritate*, art. 3. concluf. 4.

CYPRIANUS BENETUS ex Ord. Præd. in Tractatu *de non mutando Paschate*. Fundam. 13.

JUDOCUS CLICTOVÆUS ad Decretum 3. Concilii Senonenfis.

ADRIANUS GALTERUS ex Ord. S. Bened. in Lib. *de primatu Petri & Ecclesiæ*.

FRANCISCUS VICTORIA ex Ord. Prædic. Lib. *de Poteſtate Papæ* propof. 2.

JOANNES ARBOREUS Lib. 4. *Theoſophiæ* cap. 32.

Theologi Hiſpani.

ALPHONSUS DE CASTRO Lib. 1. cap. 11. contra hærefes.

LUCAS TUDENSIS Epifcopus Lib. 1. cont. Waldenfes cap 10.

TOSTATUS ABULENSIS Epifcopus 2. part. *Defenſorii* cap. 69.

Theologi Germani.

NICOLAUS CUSANUS Cardinalis Lib. *de concordiâ Catholicâ* cap. 18.

DIONYSIUS CARTHUSIANUS Lib. 1. *de Auctoritate Papæ & Concilii* art. 31.

JOANNES COCHLÆUS in Libello qui infcribitur : *Æquitatis defenſio ſuper Concilium delectorum Cardinalium ad Joannem Sturmium.*

FREDERICUS NAUSEA, Viennenfis Epifcopus Lib. 5. *rerum Conciliarium.* cap. 3.

Theo-

Theologi Belgæ.

Pro omnibus sit ADRIANUS VI. Doctor Lovaniensis citatus supra hoc capite §. I. n. 2. in 4. sent. *de ministro confirmationis*, ubi ait: CERTUM EST *quòd* (Pontifex) *possit errare etiam in iis quæ tangunt fidem, hæresim per suam Determinationem aut decretalem docendo.* Quod probat: *Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici* &c.

Idem cum Adriano sensisse alios Doctores Lovanienses Theologos ab anno 1431. quo Facultas Theologica Lovanii instituta est, saltem usque ad annum 1523. quo Adrianus jam Pontifex obiit, ibidem probatum est. n. 2.

His accensendi Doctores illi, qui anno 1685. noluerunt subscribere *Censuræ*, quam, non Facultas tota, sed tantùm MAJOR EJUS PARS tulit adversùs propositiones quatuor, super quibus Illustrissimus D. Internuntius judicium Facultatis postulaverat. de quo ibidem n. 7.

Nec prætermittendi quinque illi, de quibus ibidem n. 8. qui quòd pro infallibilitate non starent, anno 1683. à Facultate excludi jussi sunt, HUYGENIUS, LACMANNUS, STEYARTIUS, PASMANNUS, HENNEBELLUS: è quibus etsi unus vel fortè alter, postea sententiam mutârit; semper constabit posteris, stetisse eos contra infallibilitatem, donec spes adipiscendi locum in Facultate strictiore constantiam illorum dejecit.

Postremò his adjiciendi illius temporis

Theologi & jurisperiti Lovanienses, sanè non pauci, qui cùm viderent tutum non esse, tunc suam contra infallibilitatem sententiam apertè profiteri, crederentque rem nondum, ut eam apertè profiterentur, postulare; decreverant instrumentum aliquod authenticum conficere, suisque nominibus signare, quo suum contra infallibilitatem sensum testatum facerent, eo consilio, ut posteritati saltem constaret, in Academia Lovaniensi plures extitisse, qui pro infallibilitate non starent, vel ipso tempore, quo, qui pro ea non stabant, à Muniis & Gradibus Academicis arcebantur. Et poterant quidem, si vellent, mutare sententiam, opima & optima quæque, Steyartio ipso sponsore, acquirere: sed tanti eis momenti erat hæc veritas, ut mallent rerum omnium detrimentum pati, quàm eam labefactando mundum totum lucrari. Hujus consilii auctor & promotor non minimus erat Doctor MARCELLUS CLAES, Collegii Malderi Præses, vir ingenio, doctrinâ, pietate eximius; quem Deus morte præmaturâ Academiæ eripuit, dum vel maximè illum tuendæ & conservandæ in ea veritati necessarium credebamus. An consilium, quod suggerebat promovebatque, executioni mandatum fuerit, nescimus: sed fidem nobis de iis quæ scimus, testántibus adhibitum iri confidimus.

Canonistæ omnes.

Omnes, nisi fallimur, Canonistæ post Gratianum supponunt, ut certum, Pontifi-

tificem posse in fide errare, & à fide devium posse ab Ecclesia judicari. Sic enim habetur Dist. 40. cap. *Si Papa.* " Cu-
„ jus culpas istic redarguere præsumit mor-
„ talium nullus: quia cunctos ipse judi-
„ caturus à nemine est judicandus: NISI
„ DEPREHENDATUR A FIDE DE-
„ VIUS. „

Et ipse Gratianus Dist. 19. ad cap. *Anastasius.* " Videtur ergo, ait, quòd Pa-
„ pa tenetur requirere Concilium Epis-
„ coporum: QUOD VERUM EST, U-
„ BI DE FIDE AGITUR, ET TUNC
„ SYNODUS MAJOR EST PAPA,
„ ut 15. Dist. *sicut*, in fine.

Scimus Auctoritati tot Theologorum & Canonistarum opponi posse numerum aliorum multò majorem.

Verùm non tam hìc numerus spectandus est, quàm ponderandus.

Nihil mirùm, si pro Pontificis infallibilitate stent plurimi; cùm à Pontifice quisque ferè speret vel timeat aliquid: Valdè autem mirum, si contra Pontificis infallibilitatem stent vel pauci; cùm, qui sperent aut timeant nihil, sint paucissimi. Sic v. g. non magni momenti est, quòd tota Facultas Theologica Lovaniensis hodiè se pro infallibilitate Romani Pontificis stare declaret; quando verosimile est, omnes & singulos illius Magistros infallibilitatem istam profiteri coactos, vel spe locum in Facultate obtinendi, vel metu nè ab ea excluderentur. At maximi ponderis est, quòd vel pauci Academici Lovanienses steterint contra infallibilitatem; quamvis scirent propterea se & à gradibus muniis-

que Academicis arcendos, & persecutionem non modicam passuros.

V.

Quid de Infallibilitate suadeat ratio.

Si de infallibilitate Romani Pontificis consulatur ratio, nihil à ratione magis alienum videbitur omnibus ratione præditis, quàm infallibilitas. Siquidem infallibilitas ista omnibus omninò Romanis Pontificibus, quantumvis ignaris, indoctis, improbis, ac perversis tribuenda erit, quandocunque volent Ecclesiam universalem in materia fidei & morum docere: sed hoc prorsùs à ratione alienum est: ergò.

Variâ id ratione ostendemus.

Debet Pontifex Ecclesiam universalem docere ex Scripturis & Traditione: atqui fieri potest, ut pontifex sit Scripturarum & Traditionis omnino ignarus: à ratione autem alienum est, ut Pontifex Scripturarum & Traditionis omninò ignarus, ex scripturis & traditione universalem Ecclesiam doceat; & quidem infallibiliter: ergò.

Potest Pontifex ab infantia usque ad Pontificatum enutritus esse in doctrina scripturis & traditioni contrariâ, eamque in ipso adhuc pontificatu ut certam tenere: Atqui à ratione alienum est, ut Pontifex ab infantia usque ad pontificatum enutritus in doctrina scripturis & traditioni contrariâ, eamque in ipso pontificatu adhuc ut certam tenens, universalem Ecclesiam doceat doctrinam scripturis & traditioni conformem: Ergo.

Poteſt Pontifex eſſe vitæ peſſimæ, ipſasque veritates fidei, & regulas vitæ Chriſtianæ odio habere & perſequi, ac velle, quantùm in ipſo eſt, deſtruere, definiendo omnia contraria: atqui à ratione alienum eſt, ut Pontifex ſic affectus univerſalem Eccleſiam doceat veritates & vivendi regulas, quas odio habet, perſequitur, & vult quantùm in ipſo eſt, contraria omnia definiendo, deſtruere: Ergo.

Poteſt Pontifex, Scripturarum & traditionis ignarus, enutritus ab infantiâ, uſque ad Pontificatum in doctrinâ Scripturis & traditioni contrariâ, & in ea adhuc jam Pontifex, ut certâ, in ea perſiſtens; vitæ peſſimæ, qui veritates fidei & regulas vitæ Chriſtianæ odio habet, perſequitur, & contraria definiendo vult deſtruere; poteſt, inquam, ejuſmodi Pontifex non adhibere alios in conſilium, quàm homines doctrinâ & vitâ ſibi ſimiles, & alios omnes à conſilio ſuo repellere: Atqui à ratione alienum eſt, ut Pontifex Scripturarum & traditionis ignarus ex Scripturis & traditione doceat univerſalem Eccleſiam; ut doceat contra doctrinam, cui ipſe ab infantiâ innutritus fuit, & in quâ tanquam certâ adhuc Pontifex perſiſtit; ut doceat veritates, quas odio habet, perſequitur, & contraria definiendo vult deſtruere; ut doceat contra eorum conſilium, quos ſolos in conſilium adhibet: Ergo.

Quàm hæc omnia à ratione aliena ſunt, tam rationi conſentaneum eſt, ut infallibilis non ſit niſi Eccleſia, ſive per orbem totum diſperſa, ſive in Concilio generali congregata. Scripturæ enim & traditiones,

è quibus doctrina fidei & morum definienda est, non tantùm apud unum Episcopum aut unam Ecclesiam particularem, sed apud omnes per orbem Episcopos & Ecclesias, adeóque apud Ecclesiam universalem, depositæ sunt: proindè & ab Ecclesia universali., dum ex iis quæstio aliqua definienda est, repetendæ.

Præterea, si quis Episcopus vel Ecclesia particularis negligentiùs fortè depositum suum custodierit, poterit ab aliis Episcopis & Ecclesiis corrigi; auditisque Episcoporum & Ecclesiarum omnium de traditâ sibi doctrinâ testimoniis, id quod verè traditum est, liquidò deprehendi

Hâc viâ, & non aliâ, quæstiones fidei definiendas esse, post Apostolos & Patres, præclarè docuit quinta Synodus Collatione 8. his verbis: " Piissimus Imperator ,, secundùm quod inter nos placuit, tam ,, ipsum (*Vigilium Papam*) quàm nos ,, hortatus est communiter convenire, eò ,, quòd Sacerdotes decet communibus ,, quæstionibus finem imponere. Undè ,, necessariò petivimus ipsius reverentiam ,, scriptas suas promissiones (*conveniendi* ,, *in Concilio*, & *unà cum aliis Episcopis* ,, *disceptandi*) adimplere. . . . . Et pro ,, his ad memoriam ejus (*Vigilii Papæ*) ,, perduximus MAGNA ILLA APOS-,, TOLORUM EXEMPLA, ET PA-,, TRUM TRADITIONES. Licèt e-,, nim Sancti Spiritûs gratia & circa sin-,, gulos Apostolos abundaret, ut non indi-,, gerent alieno consilio ad ea quæ agen-,, da erant; non tamen aliter volue-,, runt de eo quod movebatur, si opor-

,, teret

„ teret gentes circumcidi, definire, priuſ-
„ quam communiter congregati, divina-
„ rum Scripturarum teſtimoniis unuſquiſ-
„ que ſua dicta confirmaverunt.

„ Undè COMMUNITER de eo ſen-
„ tentiam protulerunt, ad gentes ſcriben-
„ tes: *Viſum eſt Spiritui Sancto* & NOBIS
„ &c.

„ Sed & SANCTI PATRES, qui
„ per tempora in Sanctis quatuor Conci-
„ liis convenerunt, ANTIQUIS EXEM-
„ PLIS UTENTES, COMMUNITER
„ DE EXORTIS HÆRESIBUS ET
„ QUÆSTIONIBUS DISPOSUERUNT,
„ certo conſtituto, quòd in communibus
„ diſceptationibus, cùm proponuntur quæ
„ ex utraque parte diſcutienda ſunt, veri-
„ tatis lumen tenebras expellit mendacii.

„ NEC ENIM POTEST IN COM-
„ MUNIBUS DE FIDE DISCEPTA-
„ TIONIBUS ALITER VERITAS
„ MANIFESTARI, cùm unuſquiſque
„ proximi adjutorio indiget, ſicut in Pro-
„ verbiis dicit Salomon: *Frater Fratri*
„ *adjutorium præſtans, exaltabitur ſicut*
„ *civitas munita* &c.. . . . . Et iterum
„ in Eccleſiaſte dicit: *Optimi duo, quàm*
„ *unus* &c. . . . . Sed etiam ipſe Domi-
„ nus dicit: *Amen, amen, dico vobis,*
„ *ſi duo ex vobis convenerint ſuper terram,*
„ *de omni re quamcumque petierint, con-*
„ *tinget illis* &c. . . . . *Ubicunque enim*
„ *fuerint duo aut tres collecti in nomine meo,*
„ *ego cum eis ſum in medio ipſorum.*

Videtis rationes antè allatas hìc etiam auctoritate Scripturarum, Apoſtolorum, Patrum qui convenerunt in quatuor pri-

mis

mis Conciliis, & Synodi quintæ confirmari.

V I.

Quid de infallibilitate doceat Experientia?

Reſpondet Adrianus VI. ſupra citatus in 4. art. 3. de Miniſtro Confirmationis: CERTUM EST, *quòd* (Pontifex) *poſſit errare etiam in iis quæ tangunt fidem, hæreſim per ſuam determinationem aut decretalem docendo.* Quod probat argumento ſumpto ab experientiâ: *Plures enim*, inquit, *fuerunt Pontifices Romani hæretici.* Et exempla allegans: *Noviſſimè*, inquit, *fertur de Joanne XXII. qui publicè docuit, declaravit, & AB OMNIBUS TENERI MANDAVIT, quòd animæ purgatæ ante finale judicium non habent Stolam, quæ eſt clara & facialis viſio Dei, & Univerſitatem Pariſienſem ad hoc induxiſſe dicitur, quòd nemo poterat in ea gradum in Theologia adipiſci, niſi primitùs hunc errorem peſtiferum juraſſet ſe defenſurum, & perpetuò ei adhæſurum.* Deindè proſequitur: *Item patet hoc de errore quorumdam Pontificum circa Matrimonium, de quo in Cap.* Licet, de ſponſ. duorum. *Item patet hoc de errore quem ediderat Cæleſtinus circa Matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæreſim, cujus error olim habebatur in alia compilatione in Cap.* Laudabilem, de converſ. Conjug. *ut refert Hoſtienſis* in Cap. Quanto, de divortiis.

Ad hæc, & plura exempla alia tum vetuſtio-

tustiora tum recentiora, quæ allegantur ab aliis, responsum bicorne expeditum habent infallibilitatis patroni: vel enim dicunt, Pontifices non fuisse locutos ex cathedra; vel si locuti sint ex Cathedra, sensu Catholico intellexisse quod ex Cathedra locuti sunt; atque hoc responso invictos se putant.

Sed utrumque responsi cornu confractum est per Constitutionem, *Unigenitus*. Apertè enim significavit Clemens XI. Pont. Max. se locutum fuisse ex Cathedra, seu, voluisse per Constitutionem, *Unigenitus*, universalem Ecclesiam docere; quod & ipsi fatentur: propositiones autem, quas condemnat, tam sunt veræ & Catholicæ; ut nullo sano aut obvio sensu vel per speciem possint condemnatione dignæ videri.

Quid enim vel per speciem condemnatione dignum in his propositionibus? Imo, quid non doctrinæ & fidei Ecclesiæ consentaneum?

Discrimen inter fœdus Judaïcum & Christianum est, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando. propos. 6.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit. propos. 8.

Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare. propos. 10.

Quando Deus vult servare animam, quocumque

cumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei. propos. 12.

Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti. propos. 16.

Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam. propos. 23.

Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate. propos. 24.

Deus illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus solâ suâ voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur. propos. 25.

Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem. propos. 26.

Fides est prima gratia & fons omnium aliarum. propos. 27.

Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. propos. 30.

Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris propos. 32.

Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. propos. 40.

Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus. propos. 44.

Cupi-

Cupiditas aut charitas, usum sensuum bonum vel malum faciunt. propos. 46.

Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem. propos. 51.

Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit. propos. 54.

Timor non nisi manum cohibet; cor autem tam diu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. propos. 61.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque induci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ, sed per fidem & per amorem, sicuti filii. propos. 66.

Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei. propos. 69.

Lectio Scripturæ Sacræ est pro omnibus. propos. 80

Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere. propos. 82

Abripere è Christianorum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. propos. 84.

Interdicere Christianis lectionem sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis. propos. 85.

Modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi

cum

cum humilitate & sentiendi statum peccati, petendi Spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur. propos. 87.

Ignoramus quid sit peccatum & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit & detrectamus separationis istius ferre confusionem. propos. 88.

Excommunicationis injustæ metus, numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus. propos. 91.

Pati potius in pace excommunicationem & anathema, quàm prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem. propos. 92.

Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores. propos. 94.

Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ. propos. 96.

Nimis sæpe contingit membra illa, quæ magis sanctè ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tanquam indigna ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum. propos. 97.

Status

Status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est & maximè meritoria, utpotè quæ fecit hominem magis conformem Jesu Christo. propos.98.

Pervicacia, præventio, obstinatio, in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis, id quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c. propos. 99.

Nihil Spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consiliis impiorum. propos. 101.

Hæ propositiones condemnantur in Constitutione, ut sonant in sensu obvio, quem ipsa propositionum verba præ se ferunt, nihil illis addendo aut detrahendo: nam in illis, si Constitutioni credimus, *fallax libri doctrina* DISTINCTIUS ET APERTIUS EXPLICATUR, *atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina* VELUT OB OCULOS EXPONUNTUR AC DENUDANTUR, ET QUASI IN PROPATULO PONUNTUR ERRORES: UT OMNES TANDEM APERTÆ JAM MANIFESTÆQUE VERITATI *cedere compellantur.* Ac propterea *mandatur omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, ne de dictis propositionibus sentire docere, prædicare* ALITER PRÆSUMANT,

QUAM

QUAM IN CONSTITUTIONE CONTINETUR In constitutione autem nihil continetur, nisi ipsæ propositiones cum censuris, nullâ prorsus explicatione vel expositione adjectâ. Neque sanè eâ opus erat, si ipsæ propositiones sint ejusmodi, ut in iis fallax libri doctrina DISTINCTIUS ET APERTIUS EXPLICETUR; si zizaniorum semina VELUT OB OCULOS EXPONANTUR, si sic DENUDENTUR ET QUASI IN PROPATULO PONANTUR *errores*, *ut omnes tandem* APERTÆ JAM MANIFESTÆQUE *veritati cedere compellantur.*

Eadem etiam de causa non condemnantur propositiones in sensu libri vel Auctoris, unde excerptæ dicuntur; sed ita, ut *nec* CONJUNCTIM *nec* DIVISIM *illas vel illarum aliquam docere*, *defendere*, *edere*, *vel de eis tractare*, *etiam disputativè*, *nisi forsan impugnando*, *liceat.*

Hoc est sic condemnantur, ut in quocumque scripto inveniantur, nullâ ratione habitâ Libri, Auctoris, circumstantiarum, debeant sine additione, sine diminutione, sine expositione. sine explicatione, in sensu obvio, purè ac simpliciter, ut in Constitutione expressæ sunt, ab omnibus damnari.

Quod si ita est. jam damnari debet Fides & Religio Catholica, doctrina morum Christiana, Ecclesiæ circa pœnitentiam disciplina, quæ in propositionibus damnatis sensu obvio continentur.

Ergo docet Experientia posse summum Pontificem in iis quæ ad fidem & mores spectant, errare.

uod

Quod ſupra fuſiùs probatum eſt capite primo.

§. IV.

Oſtenditur, quòd res plena periculi ſit, tenere, docere, ac promovere opinionem de infallibilitate Romani Pontificis; nulli autem periculo obnoxium, eam non tenere, modo teneatur infallibilitas Eccleſiæ.

Nuſquam in deligenda ſibi opinione tardior aut cautior debet eſſe Theologus, quàm in quæſtionibus, ubi de fide & moribus agitur. Si quidem in his, ſi imprudenter elegerit, periculo ſe aberrandi à fide & impingendi in regulas morum, non in ſpeculando tantùm, ſed etiam in agendo, exponit. Hujuſmodi imprimis eſt quæſtio de infallibilitate Romani Pontificis, in qua quàm cautos nos eſſe docuerint Magiſtri noſtri, à nobis diſcere, ut ſperamus, non dedignabimini.

I.

Res plena periculi eſt, ſtare pro infallibilitate Romani Pontificis.

Sic illud demonſtrabant Magiſtri noſtri:
„ Convenit inter omnes, quòd ſententia
„ de Romani Pontificis infallibilitate, etſi
„ à quibuſdam ut fidei proxima, à quibuſ-
„ dam etiam ut fidei, non tamen ſit certa
„ abſolutè & ſimpliciter, ſeu, adeò cer-
„ ta, ut falſum ei ſubeſſe non poſſit: præ-
„ ſertim cùm etiam ut certa, ut fidei proxi-
ma

„ ima, ut fidei, habeatur à multis senten-
„ tia opposita: „

At si adeò certa non sit, ut falsum ei subesse non possit, fieri potest ut sit falsa:

Si autem fieri possit ut sit falsa; fieri etiam potest, ut in definiendis iis quæ fidei ac morum sunt, erret Romanus Pontifex:

Et si in definiendis iis quæ fidei ac morum sunt erret Romanus Pontifex; errabunt etiam qui definitionem ipsius amplectuntur:

Porro periculum est, ne illam passim amplectantur omnes, qui stant pro infallibilitate Romani Pontificis:

Sic enim passim ratiocinabuntur omnes: Stamus pro infallibilitate Romani Pontificis: ergo debemus Constitutiones omnes Pontificias in iis quæ sunt fidei & morum, amplecti:

Proindè res plena periculi est, stare pro infallibilitate Romani Pontificis.

Scimus quidem, & jam supra ostendimus, ratiocinationem illorum minimè valere; sed ea est passim humani ingenii imbecillitas, ut vitium suum in ratiocinando non observet.

Exemplo sit Facultas Theologica Lovaniensis, quæ etsi tantâ olim ingeniorum laude celebrata fuerit; hodiè tamen sic ratiocinatur circa Constitutionem, *Unigenitus*, editâ palam DECLARATIONE, quâ profitentur OMNES ET SINGULI Facultatis Magistri, se Constitutionem istam amplecti, PURE, SIMPLICITER, SINE HÆSITATIONE, SINE EXCEP-

TIONE

TIONE, SINE EXPLICATIONE, non alio fundamento, quàm quòd Facultas *semper ac constanter steterit & hodiédum stet pro Romani Pontificis, universalem Ecclesiam in materia fidei aut morum docentis, infallibilitate.*

Si autem sic ratiocinentur omnes & singuli Facultatis Magistri; quantò magis illorum discipuli & qui per Belgium sunt, Pastores, aliique Viri Ecclesiastici, eâdem opinione de Romani Pontificis infallibilitate imbuti? Ab his verò in eundem errorem facilè trahetur indoctum vulgus, specioso sophismate delusum.

Hinc verò quanta in fide ac moribus pernicies! Ponamus enim verum esse, quod contendunt plures Galliæ Episcopi, summum Pontificem in Constitutione *Unigenitus*, errasse, & condemnasse præcipuas quasque fidei Catholicæ, Moralis Christianæ, & disciplinæ Ecclesiasticæ veritates, de infirmitate hominis lapsi, de omnipotentia gratiæ Christi, de præcepto charitatis, de administrando Sacramento pœnitentiæ &c.

Ponamus, inquam, hoc verum esse, quemadmodum existimamus nos id capite primo demonstrasse: Quis non videat Belgium totum de fide & moribus periclitari, si omnibus passim in Belgio persuasum sit, Romanum Pontificem in fide & moribus errare non posse.

Quod autem de Belgio dicimus, de universo etiam orbe dicendum; si orbi universo persuadeatur ista de Romani Pontificis infallibilitate sententia. Atque hinc sollicitè monebant nos Magistri nostri, nè do-

ctrinam illam amplecteremur, saltem ut certam; multóque magis, nè illam apud alios ut certam promoveremus: posse enim hinc gravissimum aliquando fidei ac morum detrimentum in Ecclesia oriri.

Indè factum putamus, ut non pauci hodiè ex nobis, qui pro infallibilitate Romani Pontificis olim steterant, visâ Constitutione *Unigenitus*, mutârint sententiam; quam etsi à quibusdam tunc Facultatis Magistris accepissent, non acceperant tamen ut certam; ideóque eam deserendam putârint potiùs, quàm repudiandas tot fidei morumque veritates certissimas ab eadem Facultate sibi traditas, quas videbant per Constitutionem damnari.

II.

Nulli periculo obnoxium est, non tenere infallibilitatem Romani Pontificis; modò teneatur infallibilitas Ecclesiæ.

Quemadmodum qui tenet Romani Pontificis infallibilitatem, errandi periculo exponitur; ita qui eam non tenet, ab isto periculo immunis est, modò teneat infallibilitatem Ecclesiæ. Hic enim, si quid definiat Romanus Pontifex, eique definitioni Ecclesiæ consensus accesserit, absque hæsitatione, quidquid de fide aut moribus definitum fuerit, amplectetur: si consensus iste non accesserit, judicium suspendet, dum res magis elucidabitur, animo interea sic comparatus, ut cùm de Ecclesiæ sensu constiterit, absque mora se illi subjiciat.

Sed

Sed quid si agendum sit intereà dum judicium suspendit?

R. Aget id quod tutius est; atque ita erit à peccato securus. Duplex enim occurrere posset, aut videri posset occurrere, agendi necessitas: altera in materia fidei, altera in materia morum.

Quod attinet ad necessitatem agendi in materia fidei, ea occurrere non potest, nisi ubi aliquid tanquam fide credendum proponit, & ab omnibus fidelibus credi jubet. Hoc dum jubebit Ecclesia; promptissimè obtemperabit is, de quo antè, & judicium suum quod hactenus suspenderat, judicio Ecclesiæ lubens submittet. Dum verò id Ecclesia non jubebit, nulla est agendi in materia fidei, seu, credendi necessitas. Imo est necessitas non agendi: quia fide credenda non sunt, nisi quæ sunt per Ecclesiam proposita, ut pueros docet Catechismus; nec sufficit proposita esse per summum Pontificem.

Si verò occurrat necessitas agendi in materia morum; poterit semper is de quo suprà eligere tutiùs, seu, in quo minus periculi est, atque ita peccandi periculum evadere. Res exemplis fiet manifestior.

Ponamus in Constitutione *Unigenitus*, propositione 61. à summo Pontifice Clemente XI. definitum esse, *solo timore absque amore justitiæ cor à peccato averti:* Quid faciet is qui credit Pontificem in ea definitione errare potuisse, dum ad pœnitentiæ Sacramentum accedendum est? Nihil opus est, ut sciat vel examinet, infallibilisne sit an fallibilis Pontifex: sed, eâ quæstione in medio relictâ, tutiùs eli-

get, nec ad pœnitentiæ Sacramentum accedet, nisi se confidat amore justitiæ à peccato aversum.

Ponamus etiam in Constitutione *Unigenitus*, propositione 87. & 88. condemnatam esse doctrinam & praxim eorum, qui non quosvis mox pœnitentes passim absolvunt; sed opera quædam præparatoria ab iis exigunt, quibus se probent verè conversos: Quid faciet Confessarius qui non tenet infallibilitatem Pontificis? Nequaquam fatigare se debet, ut istam de infallibilitate Pontificis quæstionem discutiat; sed, eâ prætermissa, id aget quod tutius est: hoc est, non prius peccatores absolvet, quàm operibus se ad absolutionem dispositos esse ostendant.

Quemadmodum in hisce duobus exemplis patet, à periculo immunem esse eum, qui Romani Pontificis infallibilitatem non tenet; ita innumeris aliis id declarari posset. Neque agendi necessitas proferetur ulla, ubi quis peccandi periculo exponatur propterea, quòd infallibilitatem Romani Pontificis non teneat.

III.

In agendo sequenda est sententia, quæ docet errare posse Romanum Pontificem.

Consequitur id ex iis, quæ hic n. I. & II dicta sunt. Quidquid enim de Romani Pontificis infallibilitate sentiant aliqui; hoc constat, quòd doctrina ista non sit certa simpliciter & absolutè; ac proindè possit ei falsum subesse: si autem possit ei falsum sub-

ſubeſſe, periculo ſe exponit qui illam ſequitur in agendo, ut oſtenſum eſt n. 1. Nulli autem periculo exponit ſe, qui in agendo ſequitur ſententiam oppoſitam, ut patet n. 11. Nulli ergo homini prudenti poteſt eſſe dubium, quin in agendo ſequenda ſit ſententia, quæ docet Romanum Pontificem errare poſſe: cùm nemo prudens dubitet, quin certa incertis præferenda ſint, & in dubiis pars tutior eligenda.

EPILOGUS

Ad Academicos, qui hodiè Lovanii ſunt, Theologos.

Partes veſtras executi ſumus, quibus defuiſtis, Theologi Academici, cùm debuiſſetis noſtrum omnium partes obire. Si timor manum cohibuerit, animum ſcimus promptum fuiſſe, & fortè, quod à vobis ſine periculo præſtari non poterat, tutiùs ab aliis præſtitum iri non dubitabatis. Quamquam nec nos ſine periculo ſimus, qui per tot Belgii diæceſes, Mechlinienſem, Antverpienſem, Gandenſem, Brugenſem, Tornacenſem, Iprenſem, Namurcenſem, Leodienſem, Cameracenſem, Ultrajectenſem, Harlemenſem, longè latéque diſperſi, latere non poſſumus; ſed nec volumus, ubi erit veritas confitenda. Neque verò latemus omninò: cùm jam duo prodiderint ſeſe ſcriptis publicis, quorum alteri titulus eſt: *Chriſtiani Phileremi ad eximios Magiſtros Facultatis Theologicæ in Academia Lovanienſi* DE DECLARATIONE *datâ ibidem* VIII. *die menſis Julii* MDCCXV.

quâ Constitutionem CLEMENTIS XI. *Romani Pontificis*, VI. *Idus Septembris* MDCCXIII. *conditam*, *simpliciter amplectuntur*. EPISTOLA I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. Alteri verò: PROPOSITIONUM IN CONSTITUTIONE CLEMENTIS PAPÆ, *ab exordio dicta*, UNIGENITUS, *damnatarum* COLLATIO *cum quibusdam Sacræ Scripturæ locis ac SS. Patrum testimoniis*. Et quamquam nomina sua scriptis istis non præfixerint; nomine tamen noti sunt omnibus, & apertè se Facultatis Theologicæ Lovaniensis *antiquæ*, *non recentioris*, Discipulos profitentur.

Intelligimus Magistros vestros dicere, se, etsi Constitutionem UNIGENITUS, *purè*, *simpliciter*, *sine hæsitatione*, *sine exceptione*, *sine explicatione*, amplexi sint, simul tamen in antiquâ Facultatis doctrinâ, nè apice quidem mutato, persistere: idemque Magistrorum vestrorum exemplo dici audimus à Discipulis.

Sed hoc dicere, fallere est, Constitutionem eludere, & veritatem, ubi confitenda est, erubescere.

Fallunt summum Pontificem, coram quo verbis declarant, se Constitutionem ipsius *purè*, *simpliciter*, *sine hæsitatione*, *sine exceptione*, *sine explicatione* amplecti, adeóque & propositiones in ea damnatas sic condemnare: factis autem *nec purè*, *nec simpliciter*, *nec sine hæsitatione*, *nec sine exceptione*, *nec sine explicatione*, Constitutionem amplectuntur, aut propositiones in ea damnatas condemnant: Neque enim aliter aut Constitutionem amplectuntur, aut

propo-

propoſitiones condemnant, quàm *ſalvâ*, ut jactant, *in omnibus antiquâ Facultatis ſuæ doctrinâ.* Hoccine eſt Conſtitutionem amplecti, & propoſitiones damnare, *purè*, *ſimpliciter*, *ſine hæſitatione*, *ſine exceptione*, *ſine explicatione*? verbis ergo fallunt ſummum Pontificem.

Conſtitutionem ipſius eludunt: Quia ſic eam explicant, ut nihil adverſùs antiquam Facultatis doctrinam valeat; quamvis, ſi *purè*, *ſimpliciter*, *ſine exceptione*, *ſine explicatione* accipiatur, adverſus eam valeat plurimùm.

Veritatem, ubi confitenda eſt, erubeſcunt: Quia ſi umquam tempus fuit confitendi veritatem, tunc certè fuit, cùm DECLARATIONEM ſuam ediderunt. Tunc coram ſummo Pontifice & orbe univerſo palam declarare debuerant, aut ſe Conſtitutionem non amplecti, aut certè non amplecti *pure*, *ſimpliciter*, *ſine hæſitatione*, *ſine exceptione*, *ſine explicatione*; ſed tantùm amplecti, quatenùs ſacris Litteris, Traditioni, aut antiquæ Facultatis doctrinæ, præcipuè circa *infirmitatem hominis lapſi*, circa *Omnipotentiam & efficaciam gratiæ Chriſti*, circa *diſcrimen Legis veteris & novæ*, circa *charitatem & cupiditatem*, circa *timorem*, circa *adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ*, non adverſabatur. Hoc palàm declarari ab iis poſtulabat, quæ coram ſummo Pontifice confitenda erat veritas: Hoc tacuiſſe, ubi confitendum erat, non eſt aliud, quàm veritatem erubeſcere & negare.

Ut meritò timere debeant ſententiam Chriſti denuntiantis: *Qui me erubuerit, & meos* Luc. 9.

meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in Majestate sua. Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est: Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.

Matth. 10

Quid porrò dicemus de tot calumniis & imposturis, in propositionum Auctorem conjectis, quas probant Magistri Vestri, dum Constitutionem *purè, simpliciter, sine hæsitatione, sine exceptione, sine explicatione* recipiunt? Nonne illis timendum istud Apostolicum: *Neque maledici. . . . regnum Dei possidebunt*? Et scimus quidem, timendum illis fuisse ab hominibus, si *purè, simpliciter, sine hæsitatione, sine exceptione, sine explicatione* non recepissent Constitutionem: sed hunc timorem timendum non esse, docuit Magister qui dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.... Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.*

1. Cor. 6.

Matth. 10.

Nec dicant Magistri Vestri, nunquam se ab antiquâ Facultatis suæ doctrinâ interius defecisse; quia & post receptam *purè, simpliciter, sine hæsitatione, sine exceptione, sine explicatione* Constitutionem, perrexisse eandem profiteri etiam exteriùs. Nam & qui olim labebantur in persecutione Christiani, & thus adolebant idolis, non deficiebant interius à fide in unum Deum & Jesum Christum; quin & post lapsum fidem illam palam profitebantur exteriùs. Neque tamen

propterea non erant lapsi; sed ab Ecclesia reducebantur in ordinem pœnitentium, dum tantum crimen dignâ pœnitentia expiassent. Utinam illorum exemplum sequantur, qui se *purè*, *simpliciter*, *sine hæsitatione*, *sine exceptione*, *sine explicatione*, Constitutionem amplexos esse declarant exteriùs, interiùs verò se dicunt antiquam Facultatis suæ doctrinam semper tenuisse, & eam etiamnum profitentur! At quemadmodum olim agnoscebant illos lapsos fuisse, immolando idolis exteriùs, etsi unius ac veri Dei fidem interiùs retinerent: sic & hos agnoscere oporteret, lapsos se fuisse recipiendo exteriùs, *purè*, *simpliciter*, *sine hæsitatione*, *sine exceptione*, *sine explicatione* Constitutionem, etsi retinerent interiùs antiquam Facultatis suæ doctrinam.

Quod si exempla antiqua non moveant, movebunt fortè recentiora, quæ hodiè plurima sunt in Gallia. Mandante non ita pridem Rege & exilium aut carcerem comminante iis qui Constitutionem purè & simpliciter non reciperent, innumeri lapsi sunt, & vel Constitutionem receperunt, aut eam se recipere simulârunt. Verùm postquam Deo placuit timorem istum auferre; ingens quotidiè multitudo lapsum suum agnoscit, & quam tunc metu receperat, aut se recepisse simulaverat Constitutionem, nunc tanquam Sacris Litteris & Traditioni contrariam rejicere se, editâ palàm retractatione, declarat.

Et quamquam non omnis fortè timor desierit in Belgio; non omninò tamen diffidimus, fore aliquando, ut è Magistris

ſtris veſtris ſaltem aliqui, errore agnito; edant Declarationem alteram, quâ *Declarationem* ſuam priorem revocent, & quam malè amplexi fuerant Conſtitutionem, pro non receptâ, quantum in ipſis eſt, haberi velle, nec deinceps recipere, coram Urbe & Orbe teſtentur.

DECLARATIO

Sacræ Facultatis Theologicæ Lovanienſis contenta in Epiſtola Reſponſoria ad Sacram Facultatem Theologicam Duacenſem.

Reverendi adm. & Eximii Domini.

EX Litteris, quas die 22. Junii proximè elapſi ad nos dediſtis, non abſque ingenti admiratione, nec minori, ut juſtum eſt, indignatione percepimus, EXIMIIS VESTRIS DOMINATIONIBUS, *certis ex documentis conſtare, quoſdam Pariſiis, ac per totam Galliam ſparſiſſe, nos* Con-

Constitutioni Apostolicæ, quæ incipit, UNIGENITUS DEI FILIUS, infensos esse, illamque ut hæreticam & impiam rejecisse. Sanè non poterat effingi quod magis alienum foret, non à veritate dumtaxat, sed ab omni quoque specie vel apparentiâ veritatis: quandoquidem talia apud nos, & per nos publicè data sint documenta, quæ sole clarius demonstrant, omnes & singulos Facultatem nostram Theologicam constituentes, præfatam Bullam, *UNIGENITUS*, cum debita, id est, verâ ac integrâ, tam interiori quàm exteriori obedientiâ suscepisse ac suscipere. Nam ut omittamus omnibus Litteratis notum esse, vel esse debere, quòd Facultas nostra exemplo Majorum suorum semper ac constanter steterit, & hodiedum stet pro Romani Pontificis, Universalem Ecclesiam in materia Fidei aut morum docentis, infallibilitate, quódque proindè Constitutiones omnes Apostolicas, tam eas, quæ contra Baïanos & Jansenianos errores ac hæreses editæ sunt, quàm alias quaslibet corde & ore receperit, ac recipiat: illam ipsam Constitutionem *UNIGENITUS*, ab initio, etiam ante publicationem jussu Superiorum Lovanii factam, omnes & singuli amplexi sumus purè, simpliciter, sine hæsitatione, sine exceptione, sine explicatione, palàm agnoscentes, B. PETRUM per *Clementem XI.* in eadem fuisse locutum. Quin, eo ipso, quo innotuit memorata Constitutio, duo ex nobis, in solemnitate admissionis aliquorum ad Magisterium, orationem specia-

lem habuerunt super Constitutione *UNIGENITUS*, illam annuntiantes & laùdantes. Sæpè quoque in Thesibus impressis in Schola nostra propugnatis facta est mentio illius cum elogio : & quotidiè ferè in publicis Disputationibus citatur ab Oppugnantibus, ut jubeantur Propugnantes, doctrinam suam secernere ab omni propositione quæ in Bulla *UNIGENITUS* est damnata. Prætereà notum est, quòd nequaquam ferret Facultas nostra, ullum in Schola nostra defendere, præsidere, aut docere, qui aliter saperet. Ex his evidentissimè perspicere possunt EXIMIÆ DOMINATIONES VESTRÆ, quòd nequiter & falsò sparsi sint prædicti injuriosi rumores. Addimus tamen ex abundanti, quòd ubi lectæ fuerunt litteræ, quibus nos honorastis, singuli uno ore ac animo, eodemque momento reclamaverint contra sparsam de nobis injustissimam calumniam, atque in contrariam protestationem justâ indignatione eruperint. Aberat quidem Lovanio unicus de Facultate nostra Eximius Pater *Bossuyt* Provincialis Ordinis Eremitarum S. Augustini ; sed probè novimus, ipsius mentem nostræ esse conformem. Quamvis verò non foret opus de novo convenire, ut determinaretur, quid litteris vestris esset respondendum ; tamen ut constaret nihil præproperè, sed pro rei gravitate esse maturè processum ; conclusum fuit, Facultatem nostram sub juramento eam in rem esse convocandam. Itaque in Congregatione sub juramento habitâ comparuerunt omnes (excepto præfato Eximio Patre

tre Provinciali) & post maturam deliberationem, ex unanimi suffragio conclusum fuit, EXIMIIS DOMINATIONIBUS VESTRIS, præter jam dicta, respondendum esse, quòd agnoscamus, & sincerè sentiamus, omnia & singula ritè, legitimè ac juris ordine peracta esse in negotio concernente librum Gallicò idiomate impressum, & in plures Tomos distributum sub titulo: *Le Nouveau Testament en François avec des reflexions morales sur chaque verset &c. à Paris.* 1699. ac aliter: *Abregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apôtres, des Epîtres de S. Paul, des Epîtres Canoniques & de l'Apocalypse, ou pensées Chrétiennes sur le texte de ces Livres sacrés &c. à Paris* 1693. & 1694. palamque profiteamur, omnes & singulas Propositiones per præfatam Bullam *UNIGENITUS* damnatas, fuisse verè damnabiles, & verè rectéque damnatas esse, etiam sub earum respectivè censuris. Ecce genuina & aperta, EXIMII VIRI AC DOMINI, sensa nostra, quæ non vobis solùm, verùm etiam Urbi ac Orbi toti cupimus esse nota, ut sic quoque obstruantur ora loquentium iniqua. Cæterum vobis grates referimus quàm possumus maximas, tum quòd justè de nobis sentientes non dederitis fidem Detractoribus istis nominis & famæ nostræ; tum quòd de rebus nostris solliciti, sicut fas est & decet meminisse Fratrum, amicè nos commonueritis, quatenùs injuriam istam tam atram quàm atrocem nobis impactam depelleremus, prout eam hisce, quantùm confidimus,

mus, omninò depellimus. Porrò dum vestris vicissim obsequiis intimè sumus intenti, perenni cultu subscribimur.

ADMODUM REVERENDI ET EXIMII DOMINI,

Admodùm Reverendarum & Eximiarum Dominationum vestrarum

Humillimi & obsequentissimi Famuli Doctores Legentes ac Regentes, Facultatem Theologicam Lovaniensem constituentes, & eorum nomine

HERMANNUS DAMEN
pro tempore Decanus.

Lovanii 8. Julii 1715.

Superscriptio erat,

Admodum Reverendis & Eximiis Dominis, Dominis Decano & Regentibus, strictam Facultatem Theologicam Duacensem constituentibus.

Duacum.

FINIS

AD-

INDEX.

Pro-

INDEX.

Erra-

ERRATA.

Pag. 3. *Lin.* 5. à veſtris, *lege*, ac veſtris.
Ibid. *l* 27. preferemus, *lege*, proferemus.
P. 9. *l* 12. ex objecto, *adde*, bonum.
P. 16. *l.* 20. ex, *lege*, ea.
Ibid *l.* 22. ex, *lege*, ea.
P. 36. *l.* 11. affin, *lege*, affine.
P. 41. *l.* 22. ſit, *lege* fit
P. 69. *l.* 3. *lege*, ore autem confeſſio.
P. 134. *l.* 3. hinc, *lege*, hi.
P. 146. *l.* 29. iis, *lege*, piis.
P. 156. *l.* 2. à fine, *lege*, virgunculam.
P. 157. *l.* 20. *lege*, quod in hiſtoria.
P. 164. *l.* 26. exercere, *lege*, exerceri.
Ibid. *l.* 33. *lege*, dignitatibus.
P. 190. *l.* 26. *lege*, ſed neque id,
P. 199. *l.* 3. *à fine*, *lege*, exemplo.
P. 206. *l.* 5. Hic, *lege*, His.
P. 211. *l.* 26. *lege*, ubi idem Chryſoſtomus.
P. 215. *l.* 11. *lege*, deſiit.
P. 220. *l.* 10. *lege*, ipſoſque adeo.
P. 225. *l.* 9. *lege*, & ad continendos.
P. 264. *l.* 11. dicitur, *lege*, ducitur.
P. 283. *l.* 4. *à fine*, eum, *lege*, enim.
P. 287. *l.* 4. omnis, *lege*, ullius.
P. 304. *l.* 16. *lege*, nec tamen hi.
P. 310. *l.* 23. Contingit, *lege*, Contigit.
P. 312. *l.* 7. infallibile, *lege*, infallibilia.
P. 319. *l.* 7. *lege*, quòd Conſtitutionem.